



Nf. 18.

6.
IO. ANASTASII FREYLINGHVSII,
PASTORIS VLRICIANI ET GYMNA-
SII SCHOLARCHAE,

COMPENDIVM

VNIVERSAE

DOCTRINAE

CHRISTIANAE,

ARTICVLIS XXXIII COMPREHENSAE.

ACCEDIT

DIVINVS SALVTIS ORDO,
PER QVAESTIONES ET RESPONSIONES
AD DVCTVM SACRAE SCRIPTVRAE
SIMPLICITER BREVITERQVE
PROPOSITVS.

E GERMANICO IN LATINVM
CONVERTIT

IO. HENR. GRISCHOVIVS

HALBERSTADIENSIS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI, 1703.

10. AMPLIATA ET REVISITA
HASTORIUM VINCIA ET CIVITATUM
DE SCHOLARIBUS

COMPTABILITATUM
UNIVERSITATIS

POSTULANT
CHRISTOPHORI A. D. 1571

ARTICULIS XXXIII COMITIBUS
ACCEDIT

PER QUESTIONES ET RESPONSIONES
AD DICTA SACRA SCRIPTURA

REPORTEM
E. GERMANO. J. L. A. S. V. M.

PO. H. M. A. T. I. S. C. H. O. L. I. S.
H. A. S. T. O. R. I. A. M.

P. A. T. R. O. N. I. S. C. H. O. L. I. S.
C. O. M. P. T. A. B. I. L. I. T. A. T. I. S.

UNIVERSITATIS
H. A. S. T. O. R. I. A. M.



VIRO

*SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO,*

**IO. CHRISTOPHORO
MEVRERO,**

**S. THEOLOGIAE DOCTORI
CELEBERRIMO,**

**ECCLESJARVM ET SCHOLARVM
PER MARCHIAM VETEREM PRIGNI-
TIAMQVE SVPERINTEN-
DENTI GENERALI,**

**INSPECTORI ET PASTORI
APVD STENDALIENSES
PRIMARIO,**

**PATRONO AC FAVTORI SVO
SVMMOPERE COLENDO,**

HANC LATINAM EDITIONEM
COMPENDII THEOLOGICI
FREYLINGHVSIANI

VENERABVNDVS DICAT ET OFFERT;
ATQVE SIMVL A DEO, PATRE LVMINVM,
MAIOREM IN DIES IESV CHRISTI,
ET OMNIS, QVOD PER HVNC IN IPSO EST,
BONI COGNITIONEM,
CONFIRMATASQVE ANIMI AC CORPORIS
VIRES, AD OBEVNDIA GRAVISSIMA
MVNERA NECESSARIAS,

NEC NON
VBERRIMOS LABORVM IN ECCLESIA
DOMINI EX ANTLATORVM
ET ADHVC IN SVMENDORVM
FRVCTVS,

DENIQVE
QVVM SATIS DIV HEIC FIDVS ET VIGIL
INTERFVERIT DIVINO POPVLO,
SERVSQVE IN CAELVM REDIERIT,
NVMQVAM FLACCESCENTEM GLORIAE
CORONAM,

A PASTORVM ILLO MAGISTRO
OMNIBVS, GREGEM IPSIVS RITE
PASCENTIBVS,

PROMISSAM
EX ANIMO ADPRECATVR
INTERPRES.



Ad Lectorem Beneuolum Præfatio.

E Didit anno post Christum natum 1513 Vir Plurimum Reuerendus IOANNES ANASTASIVS FREYLINGHVSIVS, ecclesiæ in suburbio Halensi Glaucha tunc temporis Pastor Adiunctus, Compendium theologicum lingua germanica, inscriptum, *Grundlegung der Theologie, darin die Glaubenslehren aus göttlichem Wort deutlich vorgetragen, und zum thätigen Christenthum, wie auch evangelischen Trost angewendet werden.* Quem librum duobus annis post excepit alius ab eodem Auctore eademque lingua contextus, sub titulo, *Compendium*
a 3 oder

oder kurtzer Begriff der gantzen christlichen Lehre in XXXIV Artickeln; nebst einer summarischen Vorstellung der göttlichen Ordnung des Heils in Frage und Antwort einfältig und schriftmässig entworfen.

Quo consilio duo isti libri foras dati sint, et quainre conueniant aut discrepent, in præfationibus legere est. Nunc quidem ex illa duntaxat, quam posteriori præmisit, ea lubet interponere, quæ huc spectant, et latine reddita sic habent: *Hoc* (Compendium) *cum illo* (Grundlegung) eiusdem argumenti est. *Quemadmodum enim illic christianæ fidei dogmata proponuntur et ad praxin christianam atque solatium euangelicum applicantur, ita et heic idem illud fit. Discrimen autem utriusque libri in eo potissimum consistit, quod, quæ in isto fu-*
sus

sius proposita sunt, ea in hoc strictim
comprehendantur; retentis quidem
ut plurimum verbis iisdem, inter-
dum vero, ob propositam mihi breui-
tatem et perspicuitatem, adhibitis
aliis. Materias, quæ sensus requi-
runt paullo exercitatiores, una cum
testimoniis B. LVTHERI omisi; sicut et
sacræ scripturæ dicta parcius, et si
quantum satis est, adlegavi. Quam-
vis autem hac ratione in maiore isto
libro, (Grundlegung) res multo co-
piosiores quam in hoc minore depre-
bendantur; passim tamen in hoc in-
venias, quæ in illo frustra quæsieris.
Ipsa utriusque libri inspectio et col-
latio cuilibet ostendet optime, qua-
tenus conveniant, vel discrepent.
Cæterum hoc (breuius) Compendium
composui partim fautoribus et ami-
cis rogantibus, qui variis de causis
huiusmodi institutionem iuuen-
tuti commodiorem fore existima-
runt,

runt, partim quia ipso experimento deprehensum et alias quoque observatum fuit, non omnibus, qui librum maiorem (Grundlegung) iuventuti scholasticæ exponunt, id esse concessum, ut, quid in vnoquoque articulo maxime necessarium et ad discipulorum captum accommodatum sit, diiudicare possint. Et quum prior liber maxime in usum Pædagogii, quod heic est, Regii editus sit, præter illud autem aliæ complures scholæ, quæ Dei est gratia, apud nos reperiantur, quas pueri et puellæ frequentant, ad ampliorem pleniorisque diuinæ doctrinæ cognitionem, quam quæ initio ex catechesi ipsis inculcata est, capiendam idonei: id eo eorum in gratiam hanc simplicem institutionem conscribere, et præterea eodem consilio integrum salutis ordinem, paucis quæstionibus ac responsionibus comprehensum, una
cun

cum syllabo præcipuorum e dictis
scripturæ classicis, *quibus fidei chri-*
stianæ articuli nituntur, et preca-
tiunculam subiungere volui.

Non autem Pædagogio tantum
Regio et Orphanotrophei nostri
scholis, quibus maxime scripti sunt,
sed in pluribus etiam aliis locis in-
ventuti vsui fuisse ambo istos libros,
id partim ex toties iteratis eorum
editionibus(*) facile ad iudicandum
est, partim ex fide dignorum homi-
num sermone et litteris, partim et-
iam, quod ad posteriorem libellum
attinet, ex versione eius in linguam
hungaricam constat. (**). Cur vero
iam latino habitu indutum Com-
pendium hoc minus in publicum
a 5 con-

(*) Compendium enim maius iam an. MDCCXXX. octa-
vum, minus autem hoc ipso decimum recusum est.

(**) Prodiit hæc editio Halis nostris anno clo Io ccxiii.
interprete MATTHIA BELIO, Viro Admodum Reueren-
do et Clarissimo, sub hac inscriptione: Compendium,
avagy Rovid Summaja az egész keresztény Tudoma-
nynak XXXIV Articulus saibak foglaltatott, cetera.

Prefatio.

conspectum prodeat, paucis exponam. Fuerunt iam pridem tum ex scholarum rectoribus tum ecclesiarum antistitibus, qui vtrumque vel certe alterutrum librum in scholasticæ inuentutis emolumentum publice introductum voluerunt. Quum autem antiqui moris esse scirent, vt theologia, maxime inter superiorum ordinum alumnos, ex libro quodam latine scripto, tradatur, nec sibi ab ista consuetudine recedere licere; non optarunt solum, sed Ven. quoque Auctorem maiorem in modum rogarunt, vt hosce libros in linguam latinam vertendos curaret, aut saltem verti et edi sineret. Verum ille non vnam ob causam eorum petitioni locum relinquere dubitavit. Neque tamen postea defuerunt, qui idem illud monerent et rogarent. Ipse ego abhinc annis VIII. a ludi cuiusdam litterarii, qui in celebri

Praefatio.

bri quadam Marchiæ Brandenburgi-
cæ ciuitate est, moderatore rogatus
sum, vt veniam a Ven. Auctore na-
ctus Compendium minus in latinum
conuerterem. Enimvero nec veniam
impetrare, nec animum ad istum la-
borem applicare tum potui, in eden-
dis IOSEPHI BINGHAMI *originibus ec-
clesiasticis* occupatus. Posteaquam
autem anno superiore Theologus
quidam Grauissimus de re scholasti-
ca non minus quam cclesiastica præ-
clare meritus, Auctorem nostrum,
datis ad eum semel atque iterum lit-
teris, orauit atque obsecrauit, vt,
missis omnibus dubitandi rationi-
bus, suis aliorumque precibus ad-
nueret, adnuit tandem et, commu-
nicato cum bibliopola consilio, neg-
otium mihi dedit, vt vtrumque li-
brum in latinam linguam transfer-
rem. Facturum me promisi, et ad
hunc minorem, vti inter nos con-
vene.

Praefatio.

venerat, primo loco adgressus sum, quem per diuinam gratiam nunc exire iubeo.

Ad ipsam versionem quod attinet, boni interpretis officium in ea explorare studui, nec aliquid in sensu verborum Ven. Auctoris peccasse me putem. Vocabulis et phrasibus vsus sum, quantum potui, claris et perspicuis et in scholis theologorum vsitatis. In scholis dico theologorum. Neque enim religioni mihi duxi, re nonnumquam ita exigente, ad eorum exemplum dictionem aut locutionem adhibere, a Cicerone aliisque veteribus romanis scriptoribus non vsurpatam. Qua in re non offendentur, credo, puritatis alioquin, et merito quidem, studiosi magistri vel discipuli: quandoquidem non ex libris theologice, sed aliunde docenda est et discenda latinitas. Illi autem quum proponant

Prefatio.

nant doctrinam christianam, quæ res multas habet, a notitia auctorum linguæ latinæ longe remotissimas, mirum non est, si verbis his ipsis ignotis eas exprimant. Quicumque igitur ex hoc libello christianæ fidei dogmata comprehendere vel aliis tradere volent, in id potius incumbant, ut recte et utiliter id faciant. Quæ autem hac in re utrisque ineunda sit ratio, non meum interpretis est condocere, sed prudentes præceptores ipsi intelligent et commonstrabunt suis discipulis. Neque tamen ideo superuacaneum aut inutile fore arbitror, si ea, quæ Ven. Auctor sub finem ante memoratæ præfationis hanc in rem habet, huc transcripsero. *De recto huius libri usu, inquit, ut pauca moneam, illi ex eo maximum fructum percipient, qui propositas in eo diuinas veritates tranquillo animo*
pon-

Prefatio.

ponderauerint, citata sacre scripturæ loca euol-
uerint, omnemque cognitionem, quam hoc
modo sibi acquirunt, ad sui ipsorum emenda-
tionem in fide, caritate, spe et patientia con-
uerterint, a Deo spiritus sui lucem et efficaciam
ad hoc ipsum ardentem et submissem expetentes.
Qui vero cum iuuentute eum tractare volent, eos
modo dicta ratione prius secum tractare oporte-
bit, si quidem veram inde utilitatem expectant.
In explicandis applicandisque diuinis doctrinis et
veritatibus præcipua pars sita est officii præcepto-
ris, quippe cui non intellectus tantum sed animi
etiam et voluntatis emendationem, maxime in
hoc genere institutionis, propositam esse oportet.
Quum autem nec explicatio nec applicatio per se
ad hunc finem obtinendum sufficiat, nisi ipse Deus
spiritus sui digito veritatem suam animis inscri-
bat, necesse omnino habent ipsum feruentibus ora-
re precibus, ut omnem sationem et irrigationem
fecundam esse iubeat. Cuius voti ut unumquem-
que, primo quidem de se ipso, deinde etiam
de aliis compotem pro sua gratuita bonitate fa-
ciat, exopto. Hactenus ille. Idem ego de
hac latina editione precor et expeto, ut
tractatio eius omnibus salutaris sit. Quod
reliquum est, beneuolum Lectorem scire
volo, me alterius libri versionem iam in-
choasse operamque daturum esse, ut, si Deus
vitam

Prefatio.

vitam otiumque concesserit, primo quoque tempore confecta appareat. Vale, Lector beneuole, et nostrum hoc qualecumque publicæ vtilitati inseruendi studium boni consule. Datum Halis Magdeburgicis, Idibus Aprilis, clō lcc xxxiii.

IO. HENR. GRISCHOVIVS.

Corrigenda. Pag. 11. lin. 11. lege, prosequatur. Pag. 14. lin. 4. a fin. leg. bonis. Pag. 22. lin. 13. leg. ipsi. Pag. 23. lin. 2. quod ad. Pag. 26. lin. 2. dele, in se. Reliqua L. B. ipse corrigit.

CONSPECTVS LIBRI.

PARS PRIOR.

Artic. I. De notitia Dei, tum qua essentiam et attributa, tum qua personas spectati p. 1.	
Artic. II. De creatione	9
Artic. III. De angelis	12
Artic. IV. De diuina prouidentia, conseruatione et gubernatione	16
Artic. V. De prædestinatione	19
Artic. VI. De Christo <i>Θεανθρώπο</i>	21
Cap. I. De persona Christi	ibid.
Cap. II. De officio Christi mediatorio	24
Cap. III. De duplici statu Christi, exinationis et exaltationis	31
Artic. VII. De Spiritu sancto	34

PARS POSTERIOR.

Artic. I. De imagine Dei	38
Artic. II. De hominis lapsu et peccato	41
Artic.	

Conspēctus libri.

Artic. III. De libero arbitrio hominis, siue de viribus humani intellectus et voluntatis post lapsum	46
Artic. IV. De vocatione	50
Artic. V. De illuminatione	53
Artic. VI. De regeneratione	56
Artic. VII. De iustificatione	60
Artic. VIII. De vnione spiritali seu mystica cum Deo	64
Artic. IX. De renouatione siue sanctificatione	68
Artic. X. De sacra scriptura	72
Artic. XI. De lege et euangelio	76
Artic. XII. De clauibus cælorum	80
Artic. XIII. De sacramento baptismi	84
Artic. XIV. De sacra ccena	87
Artic. XV. De pœnitentia et conuersione	90
Artic. XVI. De fide	94
Artic. XVII. De bonis operibus	97
Artic. XVIII. De cruce	100
Artic. XIX. De precibus	103
Artic. XX. De ecclesia	107
Artic. XXI. De ministerio ecclesiastico	111
Artic. XXII. De magistratu politico	115
Artic. XXIII. De statu œconomico	118
Artic. XXIV. De morte	124
Artic. XXV. De resurrectione mortuorum	127
Artic. XXVI. De extremo iudicio et consummatione sæculi	130
Artic. XXVII. De vita æterna	133
Diuinus ordo salutis	137
Syllabus præcipuorum e dijs S. script. classicis	141
Precatiuncula	148

I. N. I.



I. N. I.

PARS PRIOR.

ARTICVLVS PRIMVS

De

NOTITIA DEI, TVM QVA ESSENTIAM ET AT- TRIBVTA, TVM QVA PERSONAS SPECTATI.

§. I.

Christiana fidei doctrina in duas par-
tes diuidi commode potest: ita
vt pars prior doctrinam de Deo;
posterior doctrinam de homine complectatur.
Christianæ fidei doctrina quomodo diuidi potest?

§. II.

Notitia Dei est vel *naturalis* vel *super-*
naturalis. Illa (naturalis) omnium homi-
num mentibus a Deo insita est naturaliter,
nec nisi scintillula quædam est, ex lumine
concreata nobis diuinæ imaginis residua;
cuius beneficio homo cognoscit, esse
Deum aliquem eumque amandum & ti-
mendum, Rom. I, 18. 19. qua in cognitio-
ne ex diligentiore rerum contemplatione
A profi-

Notitia
Dei quo-
tuplex?

2 Artic. I. de notitia Dei, tum qua essentiam

proficere etiam potest, Rom. I, 20. *Hæc* (supernaturalis) per Spiritus sancti illuminationem ab eis, qui operationi illius locum relinquunt, ex verbo Dei hauritur, Eph. I, 17. 2 Pet. I, 19.

§. III.

Deus quid? Deus est essentia suprema, sola bona & perfecta, quæ originem non habet, nec habere potest, ipsa omnium bonarum rerum origo & principium, Exod. III, 14. Apoc. I, 4. Matth. XIX, 17. Rom. XI, 36.

§. IV.

Præcipua attributa Dei quænam? Præcipua attributa Dei sunt: Aeternitas, immutabilitas, omnipotentia, omniscientia, omnisapientia, omnipræsentia, veracitas, sanctitas, iustitia, caritas & misericordia.

§. V.

Aeternitas Dei quid? *Aeternitas* Dei est, quod esse non cœpit, nec desiturus est, Psalm. XC, 2-5. Hinc æterna ei gratia & caritas tribuitur, 2 Tim. I, 9. Psalm. CIII, 17. et qui Deum habet, bonum habet immortale & sempiternum, Psalm. CXLVI, 3. 4. 5.

§. VI.

Per immutabilitatem eius quid intelligitur? Per *immutabilitatem* Dei intelligitur, quod ipse in se, siue ratione essentiae & attributorum suorum, nulli vicissitudini obnoxius, sed semper vnus & idem est, Psalm. CII, 26-28. Iac. I, 17. Mal. III, 6.

Hæc

De attributa, tum qua personas spectati. 3

Hæc agnita animum in variis angustiis & difficultatibus erigere & solari potest, Psalm. XLIV, 2-6. atque ad sincerum amorem fiduciamque in Deum immutabilem excitandam plurimum valet, Psalm. CXLVI, 3-6.

§. VII.

Omnipotentia Dei eam denotat facultatem, qua Deus omnia, quæ vult, facere potest, siue secundum quam nulla omnino res est, quam facere haud valeat, Psalm. CXV, 3. Luc. I, 37. Eph. III, 20. Matth. III, 9. Hæc agnita facit, ut in rebus omnibus aduersis iuuare, & quæ promittit, ea præstare atque implere posse, confidamus, Rom. IV, 17-21. Hebr. XI, 17-19.

§. VIII.

Omniscientia Dei res omnes, cogitationes etiam & adfectiones animi occultissimas, penitus perspectas planeque cognititas habet, Psalm. CXXXIX, 1-4. II, 12. 15. 16. Huius attributi cognitio facit, ut peccata etiam clandestina, dolum & simulationem reformidemus, Sirac. XXIII, 26. 27. 28. animos nostros Deo probandos & explorandos submitte offeramus, Psalm. CXXXIX, 23. 24. filialemque fiduciam contra omnes inutiles curas & inopiam concipiamus, Matth. VI, 31.

A 2

§. IX.

4 Artic. I. de notitia Dei, tum qua essentiam

§. IX.

Omnisapi-
entia Dei
quid? *Omnisapientia* Dei est, secundum quam omnia intelligit, bene gubernat & ordinat, consiliumque suum ad certum & gloriosum exitum producit, Ies. XL, 13. 14. Dan. II, 20. 21. Huius attributi cognitio eo prodest, vt a Deo in omnibus ipsius viis sapientiam petamus, Iac. I, 5. 1 Reg. III, 7. 8. 9. & omnes actiones nostras providentiæ diuinæ libenter committamus, Psalm. XXXVII, 5. 1 Pet. V, 7.

§. X.

Omnipræ-
sentia in
quonam
consistit? *Omnipræsentia* in eo consistit, quod secundum essentiam suam omnibus in locis vere & efficaciter præsto est, Pf. CXXXIX, 7-10. Act. XVII, 27. Hæc agnita facit, vt semper sic, tamquam illo spectante, vitam agamus, Gen. XVII, 1. peccatum fugiamus, Ier. XXIII, 23. 24. & vbique locorum de auxilio & præsidio diuino bona quæque nobis persuadeamus & polliceamur, Ies. XLV, 1. 2. Psalm. XXIII, 4.

§. XI.

Veracitas
Dei quid? *Veracitas* Dei est, quod promissiones & comminationes suas iusto tempore certe & efficaciter implet, 1 Sam. XV, 29. Psalm. XXXIII, 4. Hebr. VI, 17. 18. Hæc agnita eo valet, vt omne mendacium ex animo detestemur, veritati studeamus, Eph. IV, 25. Iac. V, 12. promissionibus diuinis

§ attributa, tum qua personas spectati, 5

vinis plena fide adhæreamus, comminationesque filiali animo metuamus. 2 Sam. VII, 28. Rom. IV, 20. Deut. XXIX, 19.

§. XII.

Sanctitas Dei attributum est, secundum *Sanctitas* quod ab omni idea rei creatæ infinite se- *Dei quid?* paratus, in se ipso autem perfectissime beatus, bonus, purus & omni peccato vacuus est, & nihil, nisi quod bonum est ac vitio caret, operari potest, Ies. VI, 3. 1 Io. I, 5. Huius attributi cognitio summam reuerentiam tam sancti numinis in mentibus nostris efficere, Ies. VI, 2. Apoc. IV, 8-10. nosque ad sanctam & a moribus huius sæculi alienam vitam in conspectu Dei & hominum agendam incitare debet, 2 Cor. VII, 1-2. 1 Pet. I, 15-17.

§. XIII.

Iustitia Dei est, qua bonum amat & *Iustitia* præmiis adfcit, malum vero odit & pu- *Dei quid?* nit, Exod. XX, 5. 6. Huius attributi cognitio instigare nos debet, ut ipsum reuenter & religiose colamus, Hebr. XII, 28. 29. iuste nos geramus aduersus alios in hac vita, Prou. XVII, 15. et in recti bonique studio diuinum presidium & auxilium, deuitata omni vindicta propria, speremus & exspectemus, Psalm. CIII, 6. Rom. XII, 19.

A 3

§. XIV.

6 Artic. I. de notitia Dei, tum qua essentiali

§. XIV.

Bonitas & misericordia Dei quid? *Bonitas & misericordia Dei attributum est, secundum quod Deus caritate, beneficentia & miseratione omnes res creatas, speciatim homines, & inter hos specialissime pœnitentes & credentes, complectitur, Psalm. XXXVI, 6. 7. 8. Hof. XI, 8. 9. Cognitio huius attributi eo adhibenda a nobis est, vt in omni necessitate filialem fiduciam in Deum collocemus & retineamus, Psalm. XXXI, 7. 8. preces in hoc ipso fundemus, Psalm. XIII, 6. & aliis hominibus amorem nostrum ostendamus eisque faciamus benigne, Luc. VI, 36. Matth. V, 44. 45.*

§. XV.

Num vnus tantum Deus? *Vnus est Deus, præter quem non est verus Deus alius, Deut. VI, 4. Ies. XLV, 5. 1 Cor. VIII, 4-6. Vnde ipsi soli, tamquam vnico & summo bono nostro, cum timore, amore ac fiducia adhærere debemus, Psalm. LXXIII, 25. 26. & cauere, ne amore huius sæculi alienos deos nobis fingamus, Phil. III, 19. Ephes. V, 5. Coloss. III, 5.*

§. XVI.

Hic Deus vnus quid est & quomodo vocatur? *Hic vnus Deus est & vocatur Pater, Filius & Spiritus sanctus, qui proinde non sunt tres dii, sed tres persone in vna essentia diuina, quæ veritas in scripturis veter-*

Et attributa, tum qua personas spectati. 7

veteris & noui testamenti continetur & fundamentum habet.

§. XVII.

Ex veteri testamento ad hanc veritatem demonstrandam facit (1) *Compendiaria descriptio creationis*, Gen. I, 1 - 3. collat: Psalm. XXXIII, 6. & Io. I, 1. 2. 3. (2) *Τεσσάρων Seraphicum*, Ies. VI, 3. collat. Io. XII, 40. 41. & Actor. XXVIII, 25. 26. (3) *Benedictio sacerdotalis Aaronis & filiorum eius*, Num. VI, 24. 25. 26. (4) *Adlocutio Moysi ad populum Israeliticum directa*, Deut. VI, 4. *Audi, Israel, α) Iehoua, β) Deus noster, γ) Iehoua, vnus est*, (5) *Sermo Messiae*, Ies. VIII, 18. coll. Hebr. II, 13.

Ex nouo testamento (1) *Manifestatio ad Jordanem fluuium*, Matth. III, 16. 17. nono? (2) *Verba institutionis sacri baptismatis*, Matth. XXVIII, 19. (3) *Promissio Christi*, Io. XIV, 16. 17. (4) *Appellatio trium testium caelestium*, qui vnus sunt, I Io. V, 7. (5) *Vota apostolica*, Pauli 2 Cor. XIII, 13. & *Ioannis*, Apoc. I, 4. 5.

§. XVIII.

Officium nostrum est, (1) *Deo O. M.* Quodnam pro huius mysterii in verbo suo reuelatione submissas gratias agere, (2) *Ipsum inuocare*, vt sese in animis etiam nostris tanquam patrem, redemptorem & con-

Ad hanc veritatem demonstrandam quidnam facit ex veteri testamento?

Quid ex nono? nostrum est officium?

8 Artic. I. de notitia Dei, tum qua ess. &c.

solatorem nostrum, patefaciat 2 Cor. XIII, 13. (3) Cum ipso nos per fidem ac caritatem coniungere, peccatumque, tamquam vnicum huius coniunctionis impedimentum, deuitare, Psalm. LXXIII, 25. 26. 1 Io. I, 6. 7.

§. XIX.

Quid solatii ex hac doctrina habemus?

Solacium ex hac doctrina est, (1) quod plena fidei & viuida cognitio Dei sit vita æterna, Io. XVII, 3. (2) quod Deus animæ fideli sui que amanti magis magisque se cognoscendum & gustandum exhibiturus sit, Io. XIV, 21. 23. & (3) quod ipsum in futura vita ita simus recognituri, quem admodum ab ipso sumus recogniti, 1 Cor. XIII, 9. 12. 1 Io. III, 2.

ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS
De
CREATIONE.

§. I.

Creatio primum opus est, quo Deus De crea-
trinus, & speciatim Pater, utpo- tione cur
te prima persona diuinitatis, sese heic agi-
patefecit. tur?

§. II.

Proinde omnium rerum *creator* Ieho- Creator
ua, Deus triunus est, Gen. I, 1. Ies. XLV, quis?
18. *Pater*, 1 Cor. VIII, 6. *Filius*, Io. I, 3.
Hebr. I, 10. et *Spiritus sanctus*, Gen. I, 2.
Psal. XXXIII, 6.

§. III.

Ordo, quo Deus omnia creauit, hic *Ordo crea-*
est: Die *primo* creauit lucem, Gen. I, 3-5. tionis qui-
secundo disiunxit cælum a terra, com. 6-8. nam?
sicuti *tertio* aquas a terra separauit, quæ
sponte sua stirpes, herbas & arbores pe-
perit, com. 9-13. *quarto* fecit solem, lu-
nam & stellas, com. 14-19. *quinto* pisces
& volucres, com. 20-23. *sexto* animantia
& reptilia; postremo loco creauit homi-
nes & quidem ad sui, hoc est diuinam ima-
ginem & similitudinem, com. 24-27. Quo
facto die *septimo* ab omnibus operibus,
A 5 quæ

quæ fecerat, feriatuſ iisque delectatuſ eſt,
cap. II, 1. 2. 3.

§. IV.

Quomodo
facta crea-
tio?

Creatio autem a Deo per ſolam ipſiuſ
omnipotentem voluntatem facta eſt ſine
labore & moleſtia, Apoc. IV, 11. Ieſ. XL,
28. ita quidem, vt ex iis, quæ non ap-
parent, facta ſint, quæ conſpiciuntur,
ſecundum Hebr. XI, 3.

§. V.

Res creatæ
quotupli-
ces?

Res creatæ ſunt vel *viſibiles*, vel *inui-
ſibiles*, Coloff. I, 16. Inter viſibiles præ-
cipuæ ſunt *homines*; inter inuiſibiles *an-
geli*, qui omnes boni creati ſunt, Gen.
I, 31.

§. VI.

Finis crea-
tionis
quis?

Finis, ad quem Deus omnia creauit,
eſt *patefactio maiestatis*, omnipotentia,
ſapientia & bonitatis ſuæ, in qua a rebus
creatis laudari vult & honorari, Rom. I,
20. 21. Apoc. IV, 11.

§. VII.

Officium
noſtrum
ſecundum
hanc do-
ctrinam

Officium noſtrum eſt, (1) ex intuitu &
vſu rerum creatarum ad amorem & lau-
dem creatoriſ nos excitare, Pſalm. CIV,
1. ſeqq. 1 Cor. X, 30. 31. (2) nos ipſos cura
animis

animis & corporibus, vtpote ab ipso con- quodnam
ditis, gloriæ & cultui eius mancipare, est?
1 Cor. VI, 20. Rom. VI, 13. & (3) animum
nostrum, deuitato omni inordinato re-
rum creatarum amore atque abufu, in
ipfo creatore defigere in eoque solo ac-
quiescere, Pfalm. LXXIII, 25.

§. VIII.

Solatum, (1) quod Deus res omnes, ab *Solatum*
se conditas, præcipue autem homines, quodnam?
ardenti amore perfequatur, Sap. XI, 25.
27. (2) quod, quum effentiam & vitam
nobis dederit, illa etiam nobis daturus
fit, quæ ad eam conseruandam necessa-
ria funt, Matth. VI, 25. (3) quod, qui
in Christo nouæ creaturæ facti funt, no-
uum cælum & nouam terram possessuri
sunt, 2 Pet. III, 10. 13. Apoc. XXI, 1. 5.

ARTICVLVS TERTIVS

De

ANGELIS.

§. I.

Cur articulus de angelis sequitur?

QUum Angeli inter res creatas inuisibiles præcipuæ sint, ideo de illis agendum est separatim.

§. II.

Nomen angeli quid denotat?

Angeli nomen græcæ originis est, *nuntium* significans, adeoque non tam nomen naturæ quam officii & ministerii est illorum spirituum inuisibilium, de quibus heic agitur.

§. III.

Discrimen inter angelos quodnam?

Angelorum alii *boni* sunt, simpliciter dicti angeli; alii *mali*, qui etiam dæmones vocantur.

§. IV.

Angelorum origo vnde?

Ad *originem* bonorum angelorum quod attinet; a Deo triuno creati sunt, Psalm. CIV, 4. Col. I, 16. Psalm. XXXIII, 6.

§. V.

Angeli natura quid?

Natura spiritus sunt: vnde sub aspectum nostrum non, nisi in adsumta forma corporea, cadunt, Hebr. I, 14. Sunt autem sapientes, & maxime intelligentes, 2 Sam.

2 Sam. XIV, 20. potentes, Pfalm. CIII, 20.
2 Reg. XIX, 35. sancti, Matth. XXV, 31. &
beati, cap. XVIII, 10. Cæterum ingen-
tem eorum numerum esse, & certam ac
pulcherrimum ordinem inter eos obtine-
re, statuendum est, Dan. VII, 10. Eph.
I, 21.

§. VI.

In officiis ac muniis suis res eis maxi-
me est cum Deo & hominibus; quippe
Deum laudant eiusque iussa exsequuntur,
Pfalm. CIII, 20. 21. Ies. VI, 3. homines au-
tem, in primis pios, custodiunt, Matth.
XVIII, 10. Hebr. I, 14. 2 Reg. XIX, 35.
eorumque animas post mortem in præsti-
tutum eis locum requiei & beatitatis por-
tant, Luc. XVI, 22.

§. VII.

Officium nostrum est, (1) Deo pro cu-
stodia angelorum gratias agere, Tob. XII,
7. 18. 20. 22. poenitentia nostra eos exhi-
larare Luc. XV, 10. & (3) bonum eorum
exemplum, in amando & laudando Deo, in
innocentia, obedientia & humilitate imi-
tari, vt ita fiat voluntas Dei a nobis in
terra, sicut ab illis fit in cælo, Matth. VI,
10. coll. Luc. X, 36.

§. VIII.

Solacium, (1) quod fideles in vita pari-
ter & morte de custodia & amicitia eorum
certi

Angelo-
rum officia
quænam?

Quodnam
officium
nostrum
secundum
hanc do-
ctrinam?

Quodnam
solacium?

certi esse possint, vid. §. VI. et (2) aliquando eorum similes futuri illorumque in consuetudine ac familiaritate æternum versaturi sint, Luc. XX, 36. Hebr. XII, 22.

§. IX.

De angelorum malorum origine & defectione quid notandum? *Angeli mali* a Deo non tales, sed sancti & boni, creati sunt, Gen. I, 31. In veritate autem non perseveraverunt, Io. VIII, 44. sed peccaverunt, 2 Pet. II, 4. atque ita sua ipsorum culpa mali & meræ ac horrendæ tenebræ facti sunt.

§. X.

Natura & essentia sua quid sunt? *Naturam* eorum & essentiam si spectes, spiritus sunt perinde ac boni angeli, adeoque etiam invisibiles. Et quidem fortes sunt ac potentes, Luc. XI, 21. astuti & fallaces, 2 Cor. XI, 3. 14. impuri, Luc. XI, 24. & mendaces, Io. VIII, 44. sed & infelices spiritus, vtpote tenebrarum catenis vinciti, in tartarum detrusi, ad magni illius diei iudicium custodiendi, 2 Pet. II, 4. Epist. Iud. com. 6. Cæterum ingentem eorum numerum esse certumque inter eos ordinem obtinere, par est, credamus, Marc. V, 9. Luc. XI, 15.

§. XI.

Malorum angelorum negotia & operationes quænam? Quemadmodum angelis bona certa sunt munia & occupationes, ita diabolus eiusque angeli nunquam non operantur. Omnes autem *operationes* eius voluntati Dei

Dei hominumque salutis sunt contrariæ; siquidem non tantum homines initio ad defectionem induxit, Gen. III, 1. seqq. sed innumeris etiam modis impedit, quominus ad salutis, in Christo denuo patefactæ, cognitionem veniant, 2 Cor. IV, 4. fideles autem ab eadem auocare & deuorare studet, 2 Cor. XI, 3. 1 Pet. V, 8.

§. XII.

Officium nostrum est, (1) ex satanæ potestate ad Deum nos conuertere, Act. XXVI, 18. (2) ei firma fide resistere, 1 Pet. V, 9. ipsum vincere, Io. II, 14. & hunc in finem (3) vniuersa armatura Dei, quem admodum Eph. VI, 11. seqq. depingitur, nosmet instruere.

Quodnam
hac in re
nostrum
officium?

§. XIII.

Solacium, (1) quod Filius Dei ideo patrefactus sit, vt diaboli opera aboleret, 1 Io. III, 8. (2) quod omnes eius tentationes fidelibus ad bonum conferre oporteat, 2 Cor. XII, 7. 8. 9. (3) quod hi de ipso & angelis ipsius aliquando iudicium facturi sint, 1 Cor. VI, 3.

Quodnam
solacium
aduersus
angelos
malos?

ARTICVLVS *QVARTVS*
De
DIVINA PROVIDENTIA,
CONSERVATIONE ET
GVBERNATIONE.

§. I.

Secundum beneficium, quo prima persona sese manifestat, quodnam? **P***rouidentia, conseruatio & gubernatio rerum omnium, alterum est beneficium, quo Deus, speciatim Pater, sese manifestat; ideo post creationem consideranda.*

§. II.

Quodnam igitur opus illa est? *Est itaque prouidentia opus totius sacrosanctae trinitatis, Patris, Io. V, 17. Filii, ibid. nec non Col. I, 17. & Spiritus sancti, Ps. CXXXIX, 7. qui hoc ipso omnipotentiam, omniscientiam, sapientiam, misericordiam & iustitiam suam patefacit. Quamuis autem Deus hoc in opere haud ullius rei creatæ auxilio egeat, Rom. XI, 34. placet tamen ipsi per angelos & homines, tamquam instrumenta & ministros suos, multis in partibus illud peragere, Io. V, 3. 4. Sap. VI, 4. 5.*

§. III.

Quodnam eius obiectum? *Obiectum diuinæ prouidentiae & gubernationis generale sunt omnia creata, Sap. XII, 13. singula etiam indiuidua, & quæ nobis*

nobis vilissima & inutilissima videntur,
 Matth. X, 29. 30. speciale homines, Matth.
 V, 45. specialissimum fideles ac pii, Matth.
 VI, 26. 30. X, 30. 1 Tim. IV, 10. Psalm.
 XXXIII, 18. 19.

§. IV.

Forma diuinæ prouidentiae in eo consi- *Forma eius*
stit, (1) quod Deus omnia creata conser- *in quo*
uat, Hebr. I, 3. & in decedentium locum alia *consistit?*
iubet succedere, Pf. CIV, 19. 20. viuis ali-
menta suppeditat, Pf. CXLV, 15. 16. atque
ex terra producit, Pf. LXV, 10. (2) quod
in & cum omnibus creaturis operatur, ita,
vt omnes naturales & bonæ earum actio-
nes atque operationes sint actiones & ope-
rationes Dei in ipsis & per ipsas, Matth.
V, 45. Act. XVII, 28. (3) quod omnia vo-
luntatis suæ arbitrato dirigit, Eph. I, II.
 Quo pertinet, quod hominum mentes
 eo, quo vult, flectit, Psalm. XXXIII,
 10. 15. alios euehit & ditat, alios deprimit
 & depauperat, 1 Sam. II, 7. 8. et quod vni-
 cuique terminum vitæ fixit, Iob. XIV, 5.
 quem homo culpa sua abbreviare, Sirac.
 III, 27. XXX, 22. 25. 26. XXXI, 30. XXXVII,
 34. Deus autem pro gratia sua prolon-
 gare potest, Ies. XXXVIII, 5. Malum
 Deus non operatur, Jac. I, 13. sed vel im-
 pedit, Gen. XX, 6. vel sanctis de causis
 permittit, 2 Sam. XVI, II. certum ei ter-
 minum

18 Artic. IV. de diu. prouid. conseru. & gub.

minum præstituit, Iob. I, 12. II, 6. ad bonum dirigit, Gen. L, 20. et tandem punit, Pfalm. V, 5.

§. V.

Finis eius
quis?

Finis prouidentia est *Dei gloria*, Pfalm. CIV, 1. seqq. tum hominum, inprimis piorum, salus, Sap. XI, 24. 27. quippe ob quos sæpe malis etiam parcit eosque beneficiis adfacit, Gen. XVIII, 24. seqq. XXX, 27-30. XXXIX, 5. Act. XXVII, 24.

§. VI.

Quodnam
hac in re
officium
nostrum?

Officium nostrum est, (1) animum nostrum ab omnibus anxiiis curis de toleranda vita nostra auocare, Matth. VI, 25-34. (2) nos & omnes res nostras Deo eiusque prouidentia committere, Pfalm. XXXVI, 4. 5. et (3) in omnibus casibus sine murmuratione & impatientia eam comprobare, Iob. I, 21.

§. VII.

Quodnam
solatium?

Solatium, (1) quod Deus ipse curam nostri velit gerere, Hebr XIII, 5. 6. (2) quod sine consilio & voluntate eius nihil nobis accidere possit, Matth. X, 29. et (3) quod omnia in utilitatem nostram a Deo conuertantur, Rom. VIII, 28.

ARTY-

ARTICVLVS QVINTVS

De

PRAEDESTINATIONE.

§. I.

Tertium opus, quod Patri tribuitur, Quodnam est electio siue *predestinatio*, de tertium qua nobis agentibus omne Dei con- opus pri- filium de salute nostra considerandum est. nae perfo-

§. II.

Hoc consilium Dei in eo consistit, (1) quod Hoc confi- Deus omnes omnino homines lapsos ab lium in æterno miserante amore complexus est, quo confi- salutis eorum cupidissimus, 1 Tim. II, 3. 4. Ezech. XVIII, 23. 32. (2) quod isto amore impulsus, postquam plenum tempus ad- venit, Filium suum pro omnibus et sin- gulis tradidit eosque sibi reconciliauit, Ioh. III, 16. 2 Cor. V, 14. 18. 19. 1 Ioh. II, 2. (3) quod omnes ad salutem serio vocat et inuitat, ad eamque apprehendendam sub- sidia & vires offert, Ies. XLV, 22. Rom. X, 18. (4) quod certum quoque ordinem constituit, quo homines vult seruare, se- cundum quem haud alii salutis vere com- potes fieri possunt, nisi qui in Christum credunt et in fide ad finem vsque vitæ per- seuerant; qui, sicuti ab omni æternitate

ab ipso præuisi, ita ex gratia electi sunt, Io. III, 16. 18. 36.

§. III.

Quomodo ergo electio facta? Proinde electio facta est ante orbem conditum, Eph. I, 4. in Christo com. 4. 5. 6. 2 Tim. I, 9. secundum propositum, Rom. VIII, 28. intuitu fidei, 2 Thess. II, 13. (Eph. I, 12. 19.) ad salutem, Rom. VIII, 25. 30. 2 Thess. II, 13.

§. IV.

Quodnam hinc nostrum officium? Officium nostrum est, diuino salutis ordini per obsequium fidei nos submittere, et tamquam Dei electos, sanctos amatosque vitam degere, eique ad mortem usque fideles manere, 2 Thess. II, 13, 14. 2 Pet. I, 5-10. Apoc. II, 10.

§. V.

Quodnam solatium? Solatium fidelium liberorum Dei est, (1) quod Deus, qui ab æterno eos dilexit et elegit, nec hoc tempore eos deserturus, Ier. XXXI, 3. Sap. III, 9. sed (2) tandem ad perfectam salutem, ad quam ipsos elegit, perfruitionem translaturus sit, Matth. XXV, 34. 46.

ARTICVLVS SEXTVS

De

CHRISTO ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ.

Doctrina de Christo spectanda est Doctrina
(1) ratione *personæ* eius, (2) ratione de Christo
officii mediatorii, (3) ratione *duplici* quomodo
status, exinanitionis et exaltationis. tradi pot-
est?

CAPVT PRIMVM

De

PERSONA CHRISTI.

§. I.

IN Christo *duæ* sunt *naturæ*, *diuina* et Quot in
humana, quæ arctissime et inseparabi- Christo na-
liter vnitæ sunt, & vnã personam turæ?
constituunt.

§. II.

Veritas *diuina naturæ*, siue quod es- Diuinitas
sentia sit Deus, demonstratur (1) ex diui- illius vnde
nis nominibus, quæ ipsi tribuuntur, Io. I, probatur?
1. 2. Act. XX, 28. 1 Io. I, 1. 2. Rom. IX, 5.
Tit. II, 13. (2) ex collatione locorum scri-
pturæ veteris cum locis scripturæ noui te-
stamenti, e. g. Num. XXI, 5. 6. cum 1 Cor.
X, 9. Ies. VI, 1. seqq. cum Io. XII, 40. 41.
Psalm. CII, 26. cum Hebr. I, 11. 12. (3) ex
B 3 aterna

æterna eius generatione a Patre Pl. II, 7. Mich. V, 1. 2. unde Filius Patris vocatur, & quidem vnigena & proprius, Io. I, 14. Rom. VIII, 32. (4) ex diuinis attributis, nimirum æternitate, Io. I, 1. XVII, 5. Apoc. XXII, 13. omnipotentia, Phil. III, 21, omniscientia, Hebr. IV, 13. omnipræsentia, Eph. I, 23. Matth. XVIII, 20. (5) ex diuinis operibus, creatione, Io. I, 3. conseruatione, Hebr. I, 3. resuscitatione mortuorum, propria quidem virtute facta, Io. V, 21. 28. 29. redemptione generis humani, Act. XX, 28. (6) ex diuino cultu, qui ipse debetur et re ipsa præstatur, Io. V, 23. Apoc. V, 11-14. Matth. XXVIII, 19. Luc. XIV, 26.

§. III.

Quodnam hinc nostrum officium? Hinc *officium* nostrum est, Ipsum vt verum, magnum et supra omnia laudandum Deum colere, eique libenti animo obtemperare, Luc. VI, 46.

§. IV.

Quodnam solatium? *Solatium*, (1) quod hinc meritum & satisfactio eius infinitæ virtutis et valoris sit, Act. XX, 28. Hebr. IX. 12. (2) quod, si ipse, Immanuel, nobiscum sit, nobis nocere possit nemo, Ies. VIII, 9. 10.

§. V.

Quid de humana Christi natura notandum? De *humana* Christi natura notandum est, quod a *Spiritu sancto* in Maria virgine conceptus, Ies. VII, 14. Math. I, 18. 20. Luc.

Luc. I, 35. atque ita verus *homo* factus sit, quod essentiam eiusdem nobiscum naturæ, Hebr. II, 14-16. adsumtis simul humanis imbecillitatibus, Matth. IV, 2. Io. XIX, 28. IV, 6. XI, 33-38. XII, 7. sine tamen peccato, ut nos a peccato & morte liberare posset, 2 Cor. V, 21. Hebr. IV, 15. VII, 26. Io. III, 5. 1 Pet. I, 19.

§. VI.

Hæ duæ naturæ per *unionem personalem in Christo* ita unitæ sunt inuicem, ut altera cum altera proprietates suas communicet.

Qua ratione duæ naturæ in Christo unitæ sunt?

§. VII.

Officium nostrum est, (1) cauere, naturam nostram, quippe quam Christus adsumsit, peccatis contaminemus, 1 Cor. VI, 13. (2) cum Christo mystice nos unire, uti ipse cum natura nostra personaliter unitus est, com. 17.

Quodnam heic officium nostrum?

§. VIII.

Solacium, (1) quod Filius Dei per incarnationem frater noster factus sit, qui infirmitatibus nostris adfici possit, & ad quem in omni necessitate confugere nobis liceat, Hebr. II, 16. 17. 18. IV, 15. 16. (2) quod natura nostra hoc ipso summopere nobilitata & ad inenarrabilem dignitatem & gloriam euecta sit.

Quid solatii inde ad nos redit?

CAPVT SECVNDVM

De

OFFICIO CHRISTI
MEDIATORIO.

§. I.

In hac meditatione quid ante omnia considerandum? **I**N hac meditatione ante omnia considerandum est, Iesum Nazarenum esse promissum illum Christum et mediatorem, de quo omnes prophetæ vaticinati sunt.

§. II.

Quotuplicia sunt argumenta, quæ hoc euincunt? *Argumenta*, quæ hoc euincunt, vel expressa apostolorum testimonia sunt, e. g. Act. II, 25. seqq. III, 22. seqq. IV, 11. 26. 27. VIII, 32. seqq. X, 43. vel ex collatione veteris et noui testamenti fluunt, et præcipua sunt hæc: (1) quia Iesus Nazarenus tali docendi genere usus est, quali Messiam vsurum prædictum fuerat, Deut. XVIII, 15. 19. Ies. XLII, 2. 3. L, 4. LXI, 1-3. coll. Matth. XII, 17. seqq. Luc. IV, 21. Io. I, 17. VI, 68. Marc. XVI, 15. 16. 20. 2 Cor. V, 10. (2) quia omnia illa miracula patrauit, ex quibus Messias cognoscendus erat, Ies. XXXV, 3-6. LXI. 1. 2. collat. Matth. XI, 5. Io. X, 24. 25. XV, 24. XX, 31. (3) quia omnia, quæ de vita, cruce, morte, sepultura,

pultura, resurrectione, adscensione Messia, et Spiritus S. effusione, per ipsum efficienda, in Iesu Nazareno impleta sunt, Gen. III, 15. Psalm. XVI, 10. II. LXVIII. CX. Ies. LIII. collat. Luc. XVIII, 31. 34. XXIV, 25. 26. 27. 46. 47. (4) quia ex stirpe Davidis, Bethlehemi in Iudæa, republica Iudaica iam collapsa, stante adhuc templo secundo, adeoque inter LXX. hebdomades Danielis natus est: quæ res omnes de Messia natiuitate prædictæ fuerunt, 2 Sam. VII, 12. Mich. V, 1. 2. Gen. XLIX, 10. Mal. III, 1. Dan. IX, 24. collat. Luc. II. et Matth. II.

§. III.

Officium nostrum est, (1) Deo pro reparata, quam in Christo promisit, salute submissas gratias agere, Luc. I, 68. seqq. II, 13. 14. 20. 38. (2) fide ipsum accipere, Io. I. 12. et (3) alios quoque ad ipsum solum, tamquam vnicum seruatorem, ablegare, Io. I, 6. 7. 41. seqq. III, 26. seqq. 2 Cor. IV, 5.

Quodnam heic nostrum officium?

§. IV.

Solatum est, quod per hanc fidem ex omni miseria eripiamur, et vitam atque adoptionem consequamur, Io. I, 12. XX, 31.

Quodnam solatium?

B 5

§. V.

§. V.

Officium
Christi
mediato-
rium quid
complecti-
tur?

Officium
eius pro-
pheticam
qua in re
consistit?

Quodnam
hinc offi-
cium no-
strum?

Quodnam
solatium?

Officium Christi mediatorium tria in se complectitur, propheticum, sacerdotale et regium.

§. VI.

Propheticum officium Christi consistit in eo, quod, quum in terra versaretur, Patris cælestis voluntatem de salute nostra adnuntiauit, Io. I, 18. XII, 49. 50. Hebr. I, 1. 2. eamque adhuc semper in cordibus fidelium per verbum et spiritum patefacit, eosque in cognitione eius sanctificat et obsignat, 1 Io. II, 20. 27. Io. I, 9.

§. VII.

Officium nostrum est, (1) Christum unicum nostrum verumque doctorem et magistrum agnoscere, Matth. XXIII, 10. et (2) ipsi dicto audientes esse, Deut. XIIX, 15. seqq. Matth. XVII, 5. Io. V, 23.

§. VIII.

Solatium, (1) quod per hunc magnum prophetam ab ignorantia et cæcitate mentis liberari atque ad vitam æternam illuminari possimus, Eph. V, 14, Apoc. III, 18. (2) quod promissionibus eius fidem tuto habere, ipsiusque disciplinæ et institutioni, sine vlllo deceptionis periculo, nos committere liceat, Apoc. III, 14. Io. VIII, 12.

§. IX.

§. IX.

Sacerdotale officium Christi comprehendit, (1) oblationem seu sacrificium (2) intercessionem pro nobis, et (3) benedictionem.

Sacerdotale officium Christi quid comprehendit?

§. X.

Oblatio seu *sacrificium* Christi est impletio et antitypus omnium sacrificiorum typicorum veteris testamenti, vid. Hebr. IX, et X. et in eo consistit, quod per totam vitam ex pleno amore et obedientia omnis generis afflictionibus, tam internis quam externis, ad ignominiosam usque mortem crucis sese submisit, atque hoc modo victimam pro peccatis Deo obtulit, Io. X, 18. Ps. XL, 7. 8. 9. 1 Pet. II, 24. Eph. V, 2. Gal. II, 20. III, 13.

Sacrificium Christi quid?

§. XI.

Intercessio pro nobis a Christo non tantum, quum mortalis ageret in terra, facta est, Hebr. V, 7. Io. XVII, 9. seqq. Luc. XXII, 32. XXIII, 34, sed adhuc semper virtute præstitæ satisfactionis fit, quando iam sedet ad dextram maiestatis in cælo, Hebr. VII, 25. XI, 24. 1 Io. II, 1. Rom. VIII, 34.

Quando Christus pro nobis intercessit?

§. XII.

Benedictio Christi est donatio omnium, quibus ad salutem egemus; quorum ex eius

Benedictio Christi quid?

eius plenitudine participes reddimur, si in ipsum credamus, Act. III, 26. Gal. III, 8. 9. 14. Io. I, 16.

§. XIII.

Quodnam nostrum officium secundum hanc doctrinam?

Officium nostrum est, (1) per eius solius sacrificium, pro nobis præstitum, peccatorum veniam omnemque necessariam gratiam a Deo petere, et vicissim ex puro amore seruos nos ipsi offerre, qui ex amore pro nobis sese obtulit victimam, Hebr. X, 19 - 22. 2 Cor. V, 15. Rom. XII, 1. (2) Ex agnita ipsius valida intercessione ad filialem et dulcem fiduciam in Deum in precibus nostris nos excitare, et ad exemplum ipsius tamquam spirituales sacerdotes pro aliis etiam, per eundem spiritum caritatis, supplicare, Hebr. X, 19. 22. 1 Tim. II, 11. et (3) omnem benedictionem ad gloriam eius et aliorum hominum salutem commodumque conuertere, 1 Pet. IV, 10. 1 Cor. XII, 7.

§. XIV.

Quodnam solatium?

Solatium, (1) quod Christus per sacrificium suum nos a legis execratione redemerit, Gal. III, 13. 1 Tim. II, 6. Deo reconciliari, 2 Cor. V, 19. Rom. V, 10. et iustitiam vitamque sempiternam restauravit,

rit, Dan. IX, 24. 2 Tim. I, 10. (2) quod Deus ob deprecationem sacerdotis nostri adhaerentes liberis suis nauos haud impu- tet, 1 Io. II, I. et (3) quod amissam in Ada- mo benedictionem ex ipso abunde recu- perare possimus.

§. XV.

Regium officium Christi spectandum est pro diuersa regni eius ratione, quod tri- plex est, (1) potentia, (2) gratia et (3) glo- ria.

manfon
muthon
or su hui
fambotto

Regium
Christi of-
ficium
quomodo
spectan-
dum?

§. XVI.

In *regno potentia* siue naturae subditi sunt res omnes creatae, quas conseruat et sic gubernat, vt sine ipso nihil possint fa- cere, Pf. VIII, 7. Matth. XXVIII, 18. In *regno gratia* subditi sunt omnes vere cre- dentes, quippe in quibus per spiritum suum regnat, Rom. XIV, 17. aduersus re- gnum tenebrarum eos defendit, Matth. XVI, 18. idque cum illis et per illos vincit et superat, Io. V, 4. 5. Iidem *subditi* sunt in *regno gloria*, vtpote in quo, deletis eorum hostibus, ipsis praerit et cum ipsis gloriosissime et magnificentissime regna- bit, atque sempiterna eos gloria replebit, 2 Tim. II, 11. 12. 2 Theff. I, 4 - 10. Vid. artic. de vita aeterna.

Quanam
subditi in
triplice
hoc regno?

§. XVII.

§. XVII.

Quodnam
nostrum
hac in re
officium?

Officium nostrum est, (1) huic regi et regimini spiritus eius sponte nos submittere ipsique seruire, Luc. XIX, 14. 27. Psalm. 11, 10 - 12. (2) tamquam reges spirituales virtute illius diabolo, mundo et carni nostræ dominari, et (3) gloriosi regni eius intuitu mundum eiusque splendorem parui facere et abnegare, et propterea vexationes patienter ferre, Phil. 111, 20. Hebr. XI, 24 - 26.

§. XVIII.

Quodnam
solatium?

Solatium fidelium est, (1) quod regnum Christi insuperabile, imperditum et æternum sit, Psalm. 11, 4. seqq. XLV, 7. Dan. VII, 14. et (2) quod in illo tamquam reges spirituales vna cum ipso victuri sint et regnaturi,
2 Tim. 11, 11. 12.

CAPVT TERTIVM.

De

DVPLICI STATV CHR-
STI EXINANITIONIS ET
EXALTATIONIS.

§. I.

Vterque status Christi aptissime de-
scribitur, Phil. 11, 6-11.

Vbi in scri-
ptura sacra
de statibus
Christi
agitur?

§. II.

Status exinanitionis consistit (1) in ab-
dicatione plenarii vsus siue exercitii diui-
nae formae, seu diuinarum proprietatum,
e. g. omniscientiae, Marc. XI, 13. XIII, 32.
omnipotentiae, 2 Cor. XIII, 4. tametsi non-
numquam, dum mortalis ageret, aliquos
diuinae gloriae radios emisit, quo loco
omnia eius miracula habenda sunt. (2) In
suntione formae seruilis et humiliatione sui
sub obsequium Patris ad mortem vsque
crucis, Phil. 11, 7. 8. Ies. LIII. Matth. XX,
28. Gal. III, 13.

Status ex-
inanitio-
nis qua in
re confi-
stit?

§. III.

Gradus exinanitionis eius sunt, (1) mi-
fella natiuitas et educatio, (2) contemta
et minus speciosa viuendi ratio inter ho-
mines, (3) internae et externae perpeffio-
nes,

Quinam
gradus ex-
inanitio-
nis?

nes, (4) ignominiosa mors, et (5) sepultura.

§. IV.

Quænam ratio istius exinanitionis?

Ratio istius exinanitionis quærenda est in lapsu nostro, et in læsa per hunc ipsum diuina iustitiâ, cui Christum hoc modo satisfacere oportuit, si a morte et peccato liberari æternamque seruari deberemus, Gen. III, 5. 6. 2 Cor. VIII, 9. Ies. LIII, 5.

§. V.

Status exaltationis quam in re situs?

Status exaltationis consistit, (1) in *depositione infirmitatum*, quas nostra causa adsumferat, Rom. VI, 9. (2) in ingressione plenioris exercitii maiestatis ac gloriæ diuinæ, Phil. II, 9. Eph. I, 20-23. et (3) in futura adhuc plenaria eius patefactione, Col. III, 3. 4. Ebr. II, 8.

§. VI.

Gradus eius quanam?

Gradus eius sunt, (1) descensio ad inferos, 1 Pet. III, 18-20. Eph. IV, 9. 10. (2) resurrectio a mortuis, (3) adscensio in cælos, (4) sessio ad dextram Dei Patris et insecuta Spiritus sancti effusio, Act. II, 33. (5) aduentus ad iudicium et cum hoc coniuncta plenaria eius gloriæ patefactio.

§. VII.

Quæ ratio exaltationis?

Ratio exaltationis est, quia seruator nobis opus erat, qui non morte solum sua salutem nobis acquireret, sed re ipsa etiam confer-

conferret, quod fieri haud potuisset, si mansisset mortuus, Rom. XIV, 9. 1 Cor. XV, 14. 17. 18.

§. VIII.

Officium nostrum est, (1) ex profunda Christi exinanitione grauitatem et turpitudinem lapsus nostri perspicere, (2) humili et submissa Christi mente nos armare, Phil. II, 3. 5. 1 Pet. IV, 1. Matth. XX, 26. 28. nec minus (3) virtutem et vitam exaltationis eius tota vita et moribus nostris prædicare, Rom. VI, 10. 11. 2 Cor. XIII, 3. 4. et (4) patefactionem gloriæ eius sperare et exspectare, Tit. II, 13. 1 Thess. I, 10.

§. IX.

Solacium, (1) quod per profundam humiliationem Christi defectio Adæ et posterorum eius perfecte expiata sit, Rom. V, 18. 19. (2) quod sub cruce, ignominia et contemtione imaginis eius consimiles reddamur, Rom. VIII, 29. Io. XV, 20. et (3) quod futurum sit, vt statuto tempore cum ipso exaltemur, 1 Pet. V, 6. Rom. VIII, 17.

ARTICVLVS SEPTIMVS
De
SPIRITV SANCTO.

§. I.

Tertia per-
sona diui-
nitatis
quomodo
vocatur?
Quid de
persona
Sp. S. no-
tandum?

Tertia persona diuinitatis est Spiritus sanctus, de quo ratione personæ et officii sui agendum est.

§. II.

De persona Spiritus sancti notandum est, (1) esse ipsum verum Deum, (2) esse veram atque a Patre et Filio distinctam personam, (3) ipsum a Patre Filioque pro-

cedere.

§. III.

Vnde dei-
tas eius
probatur?

Deitas probatur (1) ex diuinis nominibus, quæ ipsi tribuuntur, 1 Cor. III, 16. Act. V, 3. 4. 2 Pet. I, 21. collat. Hebr. I, 1. 2 Tim. III, 16. (2) ex collatione testimoniorum veteris & noui testamenti, e. g. Ies. VI, 8. 9. et Act. XXVIII, 25. item Ps. XCV, 7-11. et Hebr. III, 7. 10. (3) ex diuinis attributis, omnipræsentia, Ps. CXXXIX, 7-13. æternitatis, Hebr. IX, 14. Gen. I, 1. 2. omniscientia et omnipotentia, 1 Cor. II, 10. 11. 12. Ies. XI, 2. Sap. VII, 22. 23. (4) ex diuinis operibus, creationis, Gen. I, 2. Ps.

Pf. XXXIII, 6. regenerationis, illuminationis, renouationis, Io. III, 5. Tit. III, 5. liberæ distributionis donorum, 1 Cor. XII, II. et missionis doctorum et ministrorum ecclesiæ, Act. XX, 28. (5) *ex diuino cultu*, qui ei tribuitur, Ies. VI, 3. coll. Act. XXVIII, 25. item Matth. XXVIII, 19.

§. IV.

Spiritum sanctum non nudam proprietatem seu virtutem in Deo, sed *veram personam esse*, ex eo liquet, quod scriptura sacra ei talia adscribat, quæ tantum de persona aliqua dici possunt, vid. Act. XX, 23. 28. 1 Cor. XII, II. Io. XVI, 14. 1 Cor. III, 16. esse autem a Patre et Filio *distinctum*, manifestum est, Matth. III, 16. XXVIII, 19. Io. XIV, 16. 1 Io. V, 7.

§. V.

Spiritum sanctum *a Patre procedere*, expressis verbis docetur, Io. XV, 26. a Filio autem ipsum quoque *procedere*, inter alia colligitur ex Gal. IV, 6. 2 Thess. II, 8. Ies. XI, 4. Io. XV, 26. XVI, 15. vid. etiam Io. XX, 20. 22. Apoc. XXII, 1.

§. VI.

Officium Spiritus sancti quadruplex est, Officium
(1) *elenchticum*, (2) *didascalicum*, (3) *pa-* Sp. S. qua-
den- *tuplex?*

deuticum siue *paraneticum*, (4) *paracleticum*.

§. VII.

Aduersus quem officium elencticum administrat? *Officium elencticum* administrat aduersus mundum ob peccatum, vt de eo conuincatur, et per veram resipiscentiam ad Christum perducatur, Io. XVI, 8. 9.

§. VIII.

Officium didascalicum qua in re consistit? *Officium didascalicum* in eo consistit, quod fidelibus veritates cælestes ita viuide et efficaciter tradat cognoscendas et gustandas, vt hinc eas, tamquam veritates, diuina cum certitudine accipiant, atque intelligant, quæ sibi a Deo donata sunt, 1 Cor. II, 6. 12. 1 Io. II, 27.

§. IX.

Officium paeduticum quid? *Officium paeduticum* siue *paraneticum* est, quod filios Dei a peccatis auocat, ad boni autem et recti studium impellit, Rom. VIII, 14. Ps. CXLIII, 10.

§. X.

Officio paracletico in quosnam fungitur? *Officio paracletico* fungitur in fideles in calamitatibus et afflictionibus, quippe quas hoc ipso eis leues reddit et dulces, 1 Pet. IV, 14. Act. V, 41.

§. XI.

§. XI.

Officium nostrum est, (1) Deum in nomine Filii submisisse rogare, vt spiritum nobis suum largiatur, Luc. XI, 13. Io. XIV, 16. (2) operationibus eius, secundum omnia eius officia, locum relinquere, et (3) ipsum neque in nobis neque in aliis extinguere vel contristare, e contrario autem dona eius in nobis suscitare, 1 Theff. V, 19. Eph. IV, 30. 2 Tim. I, 6.

Quodnam
secundum
hanc do-
ctrinam
officium
nostrum?

§. XII.

Solatum, (1) quod Pater cælestis paratus sit Spiritum sanctum nobis impertire, Luc. XI, 13. (2) quod ex inhabitatione eius de diuina adoptione et futura hereditate certi esse possimus, Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6. 2 Cor. I, 22. et (3) quod in hoc ipso lux, robur et solatium nobis haud defuturum sit.

Quodnam
solatium?

PARS POSTERIOR.
ARTICVLVS PRIMVS
De
IMAGINE DEI

§. I.

In quotu- **H**omo, de quo in hac parte poste-
plici statu riore agendum est, in *quadru-*
considerari *plici statu* considerari potest,
est? (1) in statu innocentia, (2) peccati, (3) gra-
tia, et (4) gloria.

§. II.

Ad cogni- Ad cognitionem hominis, in *statu in-*
tionem ho- *nocentia* considerati, spectat contempla-
minis, in *tionem originis eius*, quæ Gen. I. & II. descri-
statu inno- bitur. Vnde perspicimus, fuisse homi-
centia nem ex omnibus visibilibus creaturis no-
considera- bilissimam et præstantissimam; præroga-
ti, quid spe- tissimam autem eius constituisse in *diuina*
tat? *imagine*, ad quam a Deo triuno creatus
fuit, quemadmodum Gen. I, 26. videre
est.

§. III.

Quinam Sunt autem *primi parentes* nostri,
vero illi *Adam et Eua*, qui istam imaginem non
sunt, qui pro se solum sed pro omnibus etiam po-
diuinam steris suis acceperunt, Gen. I, 27. 28. coll.
imaginem. Act. XVII, 26.
accepe- runt?

§. IV.

§. IV.

Ipsa imago Dei erat conformitas cum Deo *Imago Dei*
 creatore, quam homo in statu innocen- *quid erat?*
 tiæ habebat, in eo potissimum sita, quod
intellectus cælesti sapientia repletus erat,
 ut Deum ac naturam sine errore cogno-
 sceret, Gen. II, 19. 20. 23. 24. *voluntas* di-
 vino amore ac robore pollebat, ut Deo
 ex omni voluntate ipsius sine peccato fer-
 viret, Eph. IV, 24. *corpus* autem eo im-
 mortalitatis genere præditum erat, ut si-
 ne morbo ac morte in vitam æternam re-
 cipi potuisset, Sap. I, 13. 14. II, 13.

§. V.

Eo quoque spectat *dominium in res* *Quid præ-*
creatas, Gen. I, 28. Sap. IX, 2. 3. et iucun- *terea ad*
 da *sedes intra paradysum*, cuius amœni- *hanc con-*
 tate in Deo Deique in laudem frui debe- *formita-*
 bat, Gen. II, 15. 16. *tem pri-*
morum pa-
rentum
cum Deo
spectat?

§. VI.

Finis huius præstantissimæ imaginis erat *Finis divi-*
 perpetua unio et communio cum Deo, *næ imagi-*
 in qua Deus cupiebat glorificari, homo *nis quis?*
 autem et in hac et in futura vita beatus
 esse debebat.

C 4

§. VII.

§. VII.

Quodnam hac in re officium nostrum? *Officium* nostrum est, (1) pulchritudinis concreatæ nobis imaginis diuinæ sedulo recordari, ad eamque (2) per Iesum Christum ipsiusque Spiritum renouari, postquam illam in Adamo perdidimus, Eph. IV, 24. Col. III, 10. Rom. XII, 2,

§. VIII.

Quodnam solatium? *Solatium* est, (1) quod ex concreata nobis imagine Dei de magna eius benignitate et humanitate certo nobis constare possit, (2) quod Deus paratissimus sit nos in eam iam in hac vita per Christum denuo transformare, 2 Cor. III, 18. 2 Pet. I, 4. et (3) quod eam in vita æterna secundum corpus et animam perfectissime instauratus sit, Ps. XVII, 15. 1 Io. III, 2.

1 Cor. XV, 49. 54.

Phil. III, 21.

ARTICVLVS SECVNDVS

De

HOMINIS LAPSV
ET PECCATO.

§. I.

STatum innocentiae exceptit *lapsus et status peccati*, de quo accurate agitur, Gen. III.

Quinam status hominis statum innocentiae ex-

§. II.

Lapsus hominis praecipue constitit in aeterna animi auersione a Deo ad se ipsum, immo ad ipsum diabolum, Gen. III, 6. qua re diuina imago amissa est, et peccatum in mundum intravit, Gen. III, 7, 22. Rom. V, 12.

cepit? Hominis lapsus qua in re constitit?

§. III.

De origine peccati notandum est, nequaquam id esse a Deo, quippe qui bonus est, Matth. XIX, 17. et omnia creauit bona, Gen. I, 31. i Io. II, 16. nec quempiam ad peccandum impellit, Iac. I, 13. sed homines, vt a peccato sibi caueant, praemonet, Gen. II, 17. illud odit et punnit, Ps. V, 5. 6. 7. Itaque quum in scriptura Deus dicitur *indurare*, Exod. IX, 12. Ies. VI, 10. *tradere in turpes libidines et mentem iudicii expertem*, Rom. I, 27. 28.

De origine peccati quid notandum?

C 5

AG.

Act. VII, 42, coll. 39. cetera; id non intelligendum est aliter, quam quod ex *iusto iudicio* hominibus, qui sua ipsorum prava voluntate a Deo defecerunt, et gratiæ ipsius malitiose resistunt, hanc ipsam *subtrahat*, et suis eos cupiditatibus et corruptioni mundi ac Sataniæ *permittat*, 1 Reg. XXII, 19-23. Contra vero peccatum a *diabolo* est, Sap. II, 24. Io. VIII, 44. et per suggestionem eius a *protoplastis*, Adamo et Eva, 1 Tim. II, 14. Rom. V, 12. a quibus *prava concupiscentia* in omnes homines propagata est, ex qua pariter ac deceptione Sataniæ hodieque omnia peccata existunt, Iac. I, 14. 15. Marc. VII, 21-23. Eph. II, 2.

§. IV.

Peccatum
quid est? *Ipsum peccatum est aversio*, aberratio a lege et præcepto, seu voluntate diuina, hominibus patefacta, 1 Io. III, 4. Io. XVI, 9.

§. V.

Quotplex
peccatum? *Peccatum duplex est, originale et actuale.*

§. VI.

Peccatum
originale
quid? *Peccatum originale est horribilis illa naturæ nostræ corruptio, quæ in omnes homines per naturalem generationem, tamquam spiritualis lepra, propagatur; et tum in extrema aversio ac defectu propensio-*

pensionis ad bonum, tum in prava concupiscentia seu in inclinatione ad malum consistit, Psalm. LI, 7. Io. III, 6. Rom. V, 12-14. Eph. II, 3.

§. VII.

Peccatum actuale vocatur, quicquid mali ex illa corruptione naturali interne et externe peragitur, Matth. XV, 19. Gal. V, 19. 20. 21. vel boni omittitur, Iac. IV, 17. Luc. XII, 47.

Peccatum actuale quid vocatur?

§. VIII.

Peccata actualia sunt vel *infirmi-
vel malitie.*

Peccata actualia quotuplicia?

§. IX.

Peccata infirmitatis vocantur, quæ sunt a regentis et fidelibus per ignorantiam, incogitantiam vel præcipitantiam, adeoque sine regnante peccati amore aut boni et recti odio, Leu. V, 2. seqq. Pl. XIX, 13. Gal. VI, 1. cuiusmodi peccata Deus fidelibus propter Christum *haud imputat*, Rom. VIII, 1. I Io. I, 7. II, 1.

Quenam peccata infirmitatis vocantur?

§. X.

Peccata malitie sunt, quando homo sciens et volens, ac destinata opera, adeoque amore peccati et odio boni ac recti peccat, peccatoque *dominium in se per-
mittit*, Io. VIII, 34. Rom. VI, 12. I Io. III, 6. 8. 9. 2 Pet. III, 5. Istiusmodi peccata dicun-

Per peccata malitie quid intelligitur?

dicuntur *mortalia*, quia mortem ipso actu inferunt, Rom. VIII, 13. Iac. I, 15. Gal. VI, 8.

§. XI.

De discrimine peccatorum malitiæ quid notandum?

Peccatorum malitiæ *aliud alio est gradus*, Luc. XXII, 47. Io. XIX, 11, summus autem *gradus est peccatum in Spiritum sanctum*, quod numquam remittitur, Matth. XII, 31, 32. Marc. III, 28, 29. Luc. XII, 10. Hebr. XI, 4 - 8. X, 26 - 31.

§. XII.

Alienorum peccatorum quomodo participes nos reddimus?

Alienorum peccatorum participes nos reddimus, vel iubendo, vel assentiendo, vel approbando, excusando et defendendo, occultando, et modis aliis pluribus, 1 Tim. V, 22. Eph. V, 7, 11. 2 Io. com. 11.

§. XIII.

Quanam pena peccati?

Pœna peccati mors est, Gen. 11, 17. Rom. V, 12. VI, 23, et quidem (1) *temporalis*, ad quam omnes præviæ calamitates, molestiæ atque ærumnæ mortalis vitæ referendæ, Gen. III, 16 - 19. (2) *spiritualis*, in iactura spiritualis vitæ et mala conscientia posita, Ies. LIX, 2. Rom. VIII, 6. 13. Gen. III, 8 - 10, quo spectat iudicium indurationis, de quo supra §. III. Ies. VI, 9, 10. 2 Cor. III, 14. (3) *æterna*, quæ est privatio gloriôsæ beatorum vitæ in cælo, et sensus æterni cruciatus ac supplicii, 2 Theff. I, 9. Matth. XXV, 41. Apoc. XX, 6, 14. XXI, 8.

§. XIV.

§. XIV.

Officium nostrum est, (1) vitiosam ani- Quodnam
mi nostri conditionem vere pœnitendo secundum
agnoscere et detestari, Psalm. LI, 5. seqq. hanc do-
Luc. XV, 17. 21. XVIII, 13. (2) Christo, etrinam
peccatorum nostrorum expiatori, per fi- officium
dem nos tradere, vt peccatorum veniam nostrum?
per nomen eius consequamur, Col. I, 14.
et (3) virtute sanguinis et spiritus Christi
nos ipsos magis magisque a peccatis pur-
gare, 2 Cor. VII, 1. Hebr. XII, 1.

§. XV.

Solacium est, (1) quod Christus pecca- Quodnam
ra nostra eorumque pœnam in se susce- solacium
perit et Deo nos reconciliarit, Ies. LIII, 5. pœniten-
Io. I, 29. 2 Cor. V, 18. 21. (2) quod, si in tibus ad-
ipsum credamus, futurum sit, vt pecca- versus pec-
rum nobis non solum condonetur, Act. X, catum?
43. sed in nobis etiam aboleatur, 1 Io. III,
8. 9. Rom. VI, 9. seqq. et tandem pror-
fusus in nihilum intereat, 1 Cor. XV, 28.
 54-57.

ARTICVLVS TERTIVS

De

LIBERO ARBITRIO HO-
MINIS, SIVE DE VIRIBVS
HVMANI INTELLECTVS
ET VOLVNTATIS
POST LAPSVM.

Quanam
considera-
tio ad co-
gnitionem
hominis,
quatenus
in statu
peccati
spectatur,
pertinet?

Ad perspi-
ciendam
earum vi-
rium con-
ditionem
quid no-
tandum?
Quotupli-
ces hæ sint?

Intuitu re-
rum prio-
ris generis
quomodo

§. I.

AD cognitionem hominis, quatenus
in lapsu siue in statu peccati spe-
ctatur, pertinet sic dicti *liberi ar-
bitrii*, siue virium intellectus et volunta-
tis, consideratio.

§. II.

Hanc virium conditionem vt eo melius
perspiciamus, notandum est discrimen
earum rerum, in quibus post lapsum sunt
occupatæ.

§. III.

Hæ res sunt vel naturales, externæ,
ciuiles ac morales, vel spirituales, hoc
est ad hominum conuersionem et æter-
nam salutem spectantes.

§. IV.

In rebus *prioris generis*, homini post
lapsum non nullæ vires residuæ sunt. Et-
enim *intellectum*, in se spectatum, reti-
nuit,

nuit, cuius beneficio aliquid cognoscere, homo
 considerare, expendere, aliud ex alio col- comparatus?
 ligere; nec minus prudentiam in rebus
 mundanis et œconomicis adhibere potest:
 quæ tamen naturalis cognitio et pruden-
 tia multa ignorantia et stultitia laborat,
 Sap. IX, 16. Homo lapsus itidem retinuit
voluntatem, quam eatenus liberam dixe-
 ris, quia in rebus temporalibus et terre-
 stribus aliquid velle vel nolle, eligere vel
 reiicere potest. Quæ naturalis voluntatis
 libertas ad istas etiam externas actiones,
 quæ ad conuersionem pædagogiam quam-
 dam subministrant, (cuiusmodi sunt e. g.
 auditio et lectio verbi diuini) item ad stu-
 dium vitæ honestæ, protenditur, Marc.
 VI, 20. Phil. III, 6. verum nec ista naturalis
 voluntatis libertas plenaria est; vnde affe-
 ctuum violentia potentiaque Satanae sæ-
 pius in transuersum rapitur.

§. V.

In rebus *mere spiritualibus*, hoc est, ad Quomodo
 conuersionem et æternam salutem spe- autem ho-
 ctantibus, homo *ab natura nullas omnino* minis in-
vires habet. Intellectus eius adeo obte- tectus et
 nebratus est et occæcatus, vt non solum voluntas
 non possit capere, quæ Spiritus Dei sunt, se habet in-
 sed pro stultitia etiam habeat, i Cor. II, tuitu re-
 6-14. Eph. IV, 18. V, 8. Neque voluntas spiritua-
 naturalis vllis viribus instructa est, quibus lium?
 bonum

bonum rectumque modo vere spirituali velle et perficere queat, Phil. II. 13. Io. XV, 5. sed id auersatur, et aduersus ipsum Deum inimicitiam gerit, tenebras amat, et potestati Satanæ ac peccati subiacet, Gen. VI, 5. VIII, 21. Rom. VIII, 7. Io. III, 19. Coloff. I, 13. Rom. VI, 16. 17. 20. VII, 14. adeoque magis seruum et captiuum quam liberum arbitrium est, quod vero olim liberum fuit, et per diuinam gratiam rursus liberari potest, 2 Cor. III, 17. VIII, 36. Rom. VIII, 2.

§. VI.

Ex hac virium humanarum deprauatione quid sequitur?

Ex hac virium humanarum deprauatione sequitur, (1) omnium hominum animalium opera, licet virtutis speciem habeant, non esse vere bona, sed potius opera mortua, Matth. VII, 16. 17. 18. (2) homini nouam natiuitatem, *illuminationem et mentis mutationem* maxime necessariam, eamque non hominis sed Dei opus, esse. Io. III, 3. Pf. LI, 12. Ezech. XXXVI, 26. 27. Phil. I, 6.

§. VII.

Quodnam hac in re officium nostrum?

Officium nostrum est, (1) ἀδυναμίαν nostram, præcipue in spiritualibus, recte agnoscere, et omnem propriarum virium fiduciam abiicere, Io. XV, 4. 5. 2 Cor. III, 5. 6. contra (2) a Deo tanto ardentius lucem

lucem et vires spiritus sui petere, Psalm. CXIX, tot. Hebr. I, 17. 18. 19. et (3) quidquid mali et impuri operibus nostris adhaeret, nobis ipsis, bonum autem omne Deo et operationi spiritus diuini vnice adscribere, Psalm. XIX, 13. 1 Cor. XV, 10. 1 Chron. XXX, 10-14.

§. VIII.

Solacium, (1) quod Deus per Christum Quodnam
Iesum amissas vires reddere, et hoc ipso solacium?
ἀδυναμία nostrae mederi velit, Io. I, 4.
2 Pet. I, 3. 1 Cor. I, 30. Phil. II, 13. Hebr.
XIII, 21. dummodo operationi gratiae eius
morose non repugnemus, sed libenti
animo pareamus, Io. I, II. 12.
Act. XIII, 46. 48.

D

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS
De
VOCATIONE.

§. I.

Quinam tertius status, in quo homo considerandus est, *status est gratiae*, ubi spectanda sunt, (1) *diuina beneficia*, (2) *media salutis*, (3) *ordo ex parte nostra*, (4) *gratiae participes*.

§. II.

Primum beneficium, quo Deus in hoc statu homini se se manifestat, est *vocatio*.

§. III.

Vocans igitur, est *Deus triunus, Pater*, 2 Tim. I, 9. *Filius*, siue Christus, Matth. XXIII, 37. Luc. V, 32. XV, 4. *Spiritus sanctus*, Matth. X, 20. Act. VII, 51. qui hac in re miserantem suum erga hominem lapsam amorem produunt, Gen. III, 9.

§. IV.

Quodnam ordinarium medium vocationis est *verbum diuinum*, Rom. X, 14. 17. Luc. XVI, 29. 2 Theff. II, 14. ad quod publice prædicandum Deus ministerium ecclesiasticum instituit, Prou. IX, 3. Matth. XXII, 3. 2 Cor. V, 20. Bona exempla, quæ expressa quædam forma sunt verbi, aliorum

rum hominum vocationem itidem sibi propositam habent, 1 Pet. III, 1. Matth. V, 16. Præparationis loco ad vocationem tanto lubentius admittendam habenda sunt omnia beneficia corporalia et externa, Rom. II, 4. Act. XIV, 17. XVII, 25. 27. diuina iudicia et calamitates, Ies. LVII, 17. in primis morbi, Iob. XXXIII, 19. seqq. cetera.

§. V.

Deus vocat omnes homines, Ies. XLV, Quosnam
22. Marc. XVI, 15. Luc. XXIV, 46. 47. vocat
quia omnium salutem vult, nullus aurem Deus?
Propriæ rationis viribus ad eam venire
potest, 1 Tim. II, 4. 6. Luc. I, 79.

§. VI.

Dignitas et præstantia diuinæ vocatio- Dignitas
nis tam ex miseria et infelicitate elucet, et præstan-
ex qua Deus homines euocat, Luc. XIX, tia diuinæ
10. Eph. II, 11. 12. 13. 19. quam e bono et vocationis
beatitate, ad quam eos vocat; cuiusmodi vnde elu-
est resipiscentia, Matth. IX, 13. communio cet?
Iesu Christi, filii eius, 1 Cor. I, 9. sancti-
monia, 1 Thess. IV, 7. imitatio Christi in
perferendis æquo animo afflictionibus,
1 Pet. II, 21. regnum Dei, 1 Thess. II, 12. et
gloria vitæ æternæ, 1 Pet. V, 10. 1. Tim.
VI, 12.

D 2

§. VII.

§. VII.

De indole et ratione diuinæ vocationis notandum est, (1) quod sit seria, Ies. LXV, 2. Matth. XXIII, 37. (2) quod ex parte Dei sit efficax, Rom. I, 16. et (3) quod sit resistibilis, et homines culpa sua illius efficaciam infirmare possint atque excludere, Act. VII, 51. XIII, 46. Rom. X, 16.

§. VIII.

Quodnam nostrum officium secundum hanc doctrinam? *Officium* nostrum est, (1) sonanti vocatoris Dei voci sine mora obsequi, Hebr. III, 7. (2) Deum orare, vt mentis nostræ oculos illustret, vt sciamus, quid sperandum sit nobis, ab ipso vocatis, Eph. I, 17. 18. et (3) ita nos gerere, vt dignum est ista conditione, ad quam vocati sumus. Eph. IV, 5. 1 Pet. II, 9.

§. IX.

Quodnam solatium? *Solatium* est, (1) quod ex diuina vocatione de magno et flagrante amore et benignitate Dei in homines certi esse possimus, Tit. III, 3. 4. et (2) quod obedientia, vocationi præstita, omnis beatitatis, ad quam vocamur, usuram secum ferat, Ies. LV, 1. 2. Rom. VIII, 28. 30.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS

De

ILLVINATIONE.

§. I.

Secundum beneficium, quo Deus homini, respectu status gratiæ, sese manifestat, est *illuminatio*.

Quodnam
secundum
benefi-
cium, quo
Deus se-
cundum
hunc sta-
tum sese
manife-
stat?
Illuminans
quis?

§. II.

Illuminans, Deus triunus est, Pater, 2 Cor. IV, 6. *Filius,* Io. I, 4. 5. 9. VIII, 12. XII, 46. *et Spiritus sanctus,* I Cor. II, 10. Eph. I, 17. 18.

manife-
stat?
Illuminans
quis?

§. III.

Illuminatio, ob naturalem mentis cæcitatem in rebus spiritualibus, omnes omnino homines sunt indigi, Luc. I, 79. I Cor. II, 14. Eph. IV, 17. 18. capaces autem nulli, nisi qui ad bonam frugem redeunt, et a morte peccatorum se patiuntur excitari, Eph. V, 14. 2 Cor. III, 14. 16.

Num o-
mnino
omnes ho-
mines illu-
minationis
indigi?

§. IV.

Medium ordinarium illuminationis est *verbum diuinum*, Pl. XIX, 8. 9. 2 Pet. I, 19. Et quum doctoribus et ministris ecclesiæ hoc ipsum adnuntiandi darum sit negotium, ideo eis, tamquam adiutoribus Dei, illuminatio tribuitur, Act. XXVI, 18.

Quodnam
ordina-
rium me-
dium illu-
minatio-
nis?

D 3

2 Cor.

2 Cor. IV, 6. Ex parte nostra requiruntur preces, ex animo submissio et emendationis sui cupido ac studiose proficiscentes. Pf. CXIX, 18. 34. 73. 135. Eph. I, 16. seqq. Sirac. LI, 26. 27.

§. V.

Illuminatio quam in re posita?

Ipsa *illuminatio* in eo posita est, quod Spiritus sanctus veritatem caelestem menti hominis aperiat efficaciter intelligendam gustandamque, ut in lumine spiritus eam tamquam veritatem cognoscat, adeoque sciat, quæ ipsi Deus largitus est, et spiritualia spiritualiter diiudicare possit, 1 Cor. II, 12. 13. 15. Matth. XVI, 17. Io. VII, 17.

§. VI.

In illuminatione an certi gradus dantur?

Illuminatio *certos* admittit *gradus*, ita ut semper augeri et incrementa capere, Col. I, 9-11. Eph. I, 17. 18. collat. com. 13. et, si homo in accepta gratia minus fidelem se præstet, imminui et penitus cessare possit, Matth. XIII, 15. vid. Rom. I, 18. seqq.

§. VII.

Quinam præcipui eius characteres?

Præcipui diuinæ illuminationis *characteres* sunt, (1) *obseruantia præceptorum Dei*, 1 Io. II, 3. 4. in primis (2) *amor in Deum et homines*, 1 Cor. VIII, 3. 1 Io. IV, 7. 8. (3) *abnegatio mundi*, Tit. II, 11. 12. Hebr. XI, 24-26. (4) *transformatio in imaginem Christi*, 2 Cor. III, 18.

§. VIII.

§. VIII.

Officium nostrum est, (1) congenitam mentis nostræ cæcitatem submisit agnoscere, Io. IX, 39. 41. (2) a Deo illuminationem Spiritus humillime petere, vid. supra §. IV. et (3) ad agnitæ in diuina luce veritatis præscriptum vti filios lucis sancte nos gerere, Eph. V, 8. 9. 15. Col. I, 9. 10.

Quodnam
hac in re
officium
nostrum?

§. IX.

Solacium est, (1) quod Deus beneficio illuminationis fidelibus earum rerum cognitionem largiatur, quas animalium hominum nemo potest percipere, 1 Cor. II, 7-12. (2) quod Deus lucem suam in nobis augere velit, si accepta fideliter collocemus, vid. supr. §. VI. et (3) quod Deum aliquando coram et sicuti est visuri ipsoque fruituri simus, 1 Cor.

Quodnam
solacium?

XIII, 12. 1 Io. III, 2.

ARTICVLVS SEXTVS
De
REGENERATIONE.

§. I.

Quodnam
tertium
benefi-
cium sta-
tus gratiæ?

Tertium beneficium, quod iam con-
siderandum sequitur, *regeneratio*
est, seu noua creatio.

§. II.

Regenera-
tio cur ne-
cessaria?

Necessitas regenerationis fundatur par-
tim in profundissima humanæ naturæ cor-
ruptione eique adhærente ira Dei, Pf.
LI, 7-12. Io. III, 6. Eph. II, 3. partim in
diuina sanctitate et iustitia, imaginem sui
in intimo hominis corde requirente, cuius
fine instauratione regnum Dei videre
nemo potest, Rom. II, 28. 29. Io. III, 3. 5.
1 Io. I, 6. 7.

§. III.

Vnde ex-
sistit?

Regenerans, Deus triunus est, Pater,
1 Pet. I, 3. Iac. I, 18. *Iesus Christus;* cuius
nati, semen spirituale, caro et ossa ideo
vocantur regeneriti, Ies. VIII, 18. LIII, 10.
Eph. V, 30. et *Spiritus sanctus,* Io. III, 6. 8.
Tit. III, 5. Ezech. XXXVI, 26. 27. 1 Sam.
X, 6.

§. IV.

§. IV.

Media regenerationis sunt, (1) *verbum* Quanam
diuinum, vbi tamquam semen incor-media re-
ruptibile animo implantatur, eique generatio-
quasi commiscetur, 1 Pet. I, 23. Iac. I, 18. nis?
Hebr. IV, 2. (2) *baptismus*, Io. III, 5. Tit.
III, 5. 6. Eph. V, 26. 1 Pet. III, 21. Et quum
doctores ac ministri ecclesie verbum Dei
doceant ac baptismum administrent, his
quoque regeneratio adscribitur; vnde
patres vocantur, 1 Cor. IV, 14. 15. Phi-
lem. com. 10.

§. V.

De *regeneratione* ipsa notandum est, De rege-
(1) quod rationi occulta sit atque imper-neratione
via, Io. III, 8. II. 12. (2) quod sit vera quæ- ipsa quod-
dam natiuitas, siquidem interna indoles nam no-
ac natura hominis hac ipsa vere et effi- tandum?
caciter immutatur, et aliquid spirituale
ac supernaturale, quod antea haud adfuit,
nascitur, siue creatur et efficitur, Ezech.
XI, 19. XXXVI, 25. 26. Ier. XXXI, 33.
(3) quod amitti possit et recuperari, Gal.
IV, 19. V, 4.

§. VI.

Id, quod per regenerationem effici- In regene-
tur et creatur, est noua quadam et spi- ratione
ritualis indoles mentis, vitiosæ ac cor- quid pro-
ruptæ tur?
D 5

ruptæ indoli, quæ ex naturali generatione existit, opposita, Io. III, 6. et per quotidianam renouationem augenda, quæ spiritualis indoles variis iisque emphaticis nominibus in sacra scriptura appellatur, Psalm. LI, 12. 2 Cor. V, 17. Eph. IV, 24. 2 Pet. I, 14. 1 Cor. II, 16. Gal. IV, 19.

§. VII.

Quinam *Præcipui characteres* regenerationis characteres sunt, (1) viua benignitatis et humanitatis Dei ac Christi cognitio, 2 Pet. II, 2. 3. (2) spiritus adoptionis, Rom. VIII, 15. 16. Gal. IV, 6. (3) amor erga Deum et Christum, filios Dei, et homines vniuersos, Io. VIII, 42. 1 Io. I, 7. 8. V, 1. 2. Matth. V, 44. 45. (4) obtemperatio diuinis præceptis, Gal. V, 22. 1 Io. II, 29. III, 9. 10. et (5) serium certamen aduersus peccatum, et victoria de hoc ipso, diabolo et mundo, 1 Io. V, 4. 18.

§. VIII.

Quodnam *Officium* regentorum est, (1) Deum ac Patrem Iesu Christi Domini nostri pro gratia regenerationis laudare ac celebrare, 1 Pet. I, 3. Coloss. I, 12. (2) acceptis in regeneratione spiritualibus viribus ad quoti-

quoridianam mentis renouationem fideliter vti, 2 Cor. VI, 1. 2. 3. 2 Pet. I, 3. seqq. et (3) Deo, patri suo, animo spontaneo et filiali seruire, diuinamque eius indolem, quoad vixerint, referre atque in se demonstrare, Matth. V, 45. Luc. VI, 36. coll. Io. VIII, 30. 44.

§. IX.

Solatium eorum est, (1) quod per re- Quodnam
generationem Deus triunus factus sit ipso- solatium?
rum pater, ipsi autem facti sint eius filii,
seu diuinum genus, 1 Io. III, 1. Iac. I, 18.
Io. I, 12. 13. 1 Cor. I, 30. (2) quod hinc
ius adepti sint ad caelestem haereditatem,
eamque cum plena fiducia sperare et
expectare possint, 1 Pet. I, 3. 4.
Rom. VIII, 17.

ARTICVLVS SEPTIMVS
De
IVSTIFICATIONE.

§. I.

Quodnam
quartum
benefi-
cium sta-
tus gratiæ?
Iustificans
quis?

Quartum beneficium status gratiæ est
iustificatio.

§. II.

Iustificans, siue is, a quo iustificatio fit, *Deus triunus* est, Psalm. XXXII, 1. 2. CXXX, 4. *Pater*, Rom. VIII, 33. *Filius*, Ies. LIII, 11. Rom. V, 19. et *Spiritus sanctus*, 1 Cor. VI, 11.

§. III.

Quanam
causæ iu-
stificatio-
nis?

Causæ iustificationis sunt *ex parte Dei*, (1) ipsius *gratia* seu mera misericordia, merito operum opposita, Rom. III, 24. Eph. II, 5. 8. 9. Tit. III, 4. 5. (2) *meritum et satisfactio Iesu Christi*, quippe qui divinam legem perfecte implevit et peccata nostra eorumque poenas in se suscepit et baiulavit, Ies. LIII, 11. 12. Ier. XXIII, 6. Rom. III, 25. V, 18. 19. 2 Cor. V, 21. *Ex parte hominum* causæ est *fides*, quatenus Christo innititur eumque apprehendit et accipit, Rom. III, 23. 25. 26. IV, 5. V, 1. X, 3. Gal. II, 16. Eph. II, 8.

§. IV.

§. IV.

Huius iustificationis, propter vniuersalem humanæ naturæ vitiositatem eique adhaerentem iram Dei, *omnes omnino mortales indigi* sunt, Rom. III, 9. seq. 19. 23. *num omnes homines iustificationis indigi?* nulli autem alii eius *re ipsa participes* fiunt, quam qui Christum resipiscente ac credente, siue contrito ac gratiæ cupido animo, suscipiunt. Securæ et vanæ mentes, vel propriam iustitiam constituentem, illius haud sunt capaces, Ies. I, 16-18. LXI, 1. 2. 3. LXVI, 2. Ps. LI, 3. seqq. Luc. XV, 21. XVIII, 9. 13. 14. Rom. IX, 31. 32.

§. V.

Iustificatio ipsa in eo consistit, quod Iustificatio Deus homini vere pœnitenti et credenti *autem ipsa* Christi, filii sui, iustitiam imputat, eam *in quo consistit?* que propter peccata illi sua remittit, eorumque pœnam condonat, Rom. IV, 5-8-9. Ps. XXXII, 1. 2. Matth. XVIII, 27.

§. VI.

Finis iustificationis ex parte Dei est gloria Finis iustificationis *sive demonstratio sanctitatis, iustitiæ* *et misericordiæ eius, Rom. III, 4. 19. 26. quis?* Eph. I, 5. 6. 7. *ex parte autem hominis salus aeterna, Rom. VI, 22.*

§. VII.

§. VII.

Præcipui fructus iustificationis sunt, (1) *liberatio* a dominio malæ conscientiaë et timoris seruilis, Hebr. X, 22. (2) *pax cum Deo*, Rom. V, 1. (3) *gaudium* in Spiritu sancto, Rom. XIV, 17. Pl. LI, 10. (4) *sanctificatio* siue renouatio, Rom. VI, 22. et (5) *spes* futuræ gloriaë, Rom. V, 2.

§. VIII.

Abusus huius doctrinaë quis? *Abusus* huius doctrinaë est, (1) si quis in peccati seruitute perseuerans ob Christi meritum iustum se esse opinatur. (2) si quis mere historicam notitiam de Christo, humanum assensum et carnalem fiduciam pro fide iustificante habet. (3) si quis hinc sanctificationem tollit, et peccandi libertatem arripit, Rom. VI, 1. seqq. Gal. II, 17. V, 13. Ep. Iud. com. 4. Iac. II, 14. et (4) si quis hinc præmii gratuiti promissionem, bonorum operum studio datam, rescindit, Deoque frustra seruire statuit, Mal. III, 13. 14. 15.

§. IX.

Quodnam officium iustificationis non repudiare, sed fide custodire, adeoque in solo Domino eiusque iustitia gloriari, Gal. II, 21. 1 Cor. I, 29-31.

29 - 31. (2) alteri delicta sua libenter condonare, quemadmodum Deus ipsis in Christo condonavit, Eph. IV, 32. Matth. XVIII, 23. seqq. et (3) sanctimonie omnem operam nauare, Rom. VI, 22.

§. X.

Solacium eorum est, (1) quod propter Christum aeternam et perfectam habeant peccatorum remissionem, siue quod Deus peccatorum eorum numquam recordaturus sit, Ies. XLIII, 25. Mich. VII, 18. 19. 1 Cor. I, 30. (2) quod hinc in foro diuino eos accusare et damnare nemo possit, Rom. V, 1. VIII, 1. 31. 33. 34. et (3) quod ipsis contra adhaerentes sibi nauos de ea per fidem semper gloriari et solacium inde petere liceat, Rom.

VIII, 1. 10. II, 1. 2.

ARTICVLVS OCTAVVS

De

VNIONE SPIRITVALI
SEV MYSTICA CVM
DEO.

§. I.

Quodnam
quintum
benefi-
cium sta-
tus gratiæ?

Quintum beneficium status gratiæ est unio spiritualis seu mystica cum Deo, quæ etiam spirituale coniugium appellatur, et infelicissimæ unioni et communioni cum Satana, (Eph. II, 2.) in quam homo per defectionem a Deo incidit, opponitur.

§. II.

Quinam
spirituali-
ter unien-
di?

Unien- di, sunt ex altera parte Deus trinus, Io. XIV, 23. speciatim Pater, 2 Cor. VI, 16. 17. 18. Christus Iesus, 1 Cor. VI, 17. Eph. V, 30. 32. (ideo dictus Immanuel Ies. VII, 14. vnus vir, 2 Cor. XI, 2. sponsus, Io. III, 29. caput, Eph. I, 22. IV, 15. et vitis, Io. XV, 1.) et Spiritus sanctus, 1 Cor. III, 16. ex altera autem parte homines vere respicientes et credentes, Ies. LVII, 15. Apoc. III, 20. Eph. III, 17. ideo vocati templum Dei, et domus Dei, 1 Cor. III, 16. 17. 2 Cor. VI, 16. Ebr. III, 6. Christi sponsa, Io. III, 29. corpus, Eph. I, 23. membra, Eph. V. 30. et palmites, Io. XV, 2. 5.

§. III.

§. III.

Media vnionis spiritualis ex parte Dei Media spi-
sunt, (1) *sanctum* ipsius *verbum*, vtpote ritualis
quo homines ad eam inuitat, Matth. XXII, vnionis
3. 9. 2 Cor. XI, 2. (2) *sacramenta*; bap-
tismus, Gal. III, 27. et sacra coena, 1 Cor. X,
16. 17. vid. Io. VI, 55. 56. *ex parte homi-*
num medium huius spiritualis vnionis est
fides, Eph. III, 17. Io. XIV, 23.

§. IV.

Consistit autem hæc *vnio* in eo, quod In quo
Christus & propter Christum etiam Pater & consistit?
Spiritus sanctus secundum essentiam suam,
mystica quadam, efficaci et gratiæ plena
ratione, in fidelibus habitant, adeoque
cum illis multo arctius, quam cum reli-
quis rebus creatis, coniuncti sunt, Io.
XVII, 21. Gal. II, 20.

§. V.

Ex hac vnione *communio* adeo plena *Quænam*
folatii existit, vt homo Deum et Chri- *inde com-*
stum vna cum toto ipsius merito, iustitia, *municio ex-*
spiritu et virtute sibi proprium accipiat, *sistit?*
Eph. III, 16-19. Coloss. I, 14. Phil. III, 8.
9. 10. Rom. VIII, 10. 11. et vicissim Chri-
stus

E

stus

stus sibi adpropriet, quæ membris suis in hoc mundo bona vel mala obtingunt, Matth. X, 40. XXV, 25. seqq. Act. IX, 4. in qua etiam fundatur vnio et communio fidelium inter se mutua, utpote in quorum vnoquoque Christus ipseque spiritus est et habitat, Io. XVII, 20 - 23. 1 Io. I, 3. Eph. IV, 3. 6. 15. 16.

§. VI.

Quænam *Nota* et *γνωρίσματα* sunt, (1) domini- eius *γνω-* nium in peccatum, 1 Io. III, 6. (2) sensus *είσαυτα* spiritus, Rom. VIII, 7. 1 Io. III, 24. V, 20. (3) obseruatio præceptorum Christi, 1 Io. II, 5. speciatim (4) vere fraternus amor, c. IV, 12. et (5) efficax communio per- pessionum Christi, Phil. III, 9. 10.

§. VII.

Quodnam *Officium* nostrum est, (1) communioni secundum Satanz et peccatorum valedicere; quip- hanc do- pe qua cum vnio et communio cum- strinam- Deo consistere non potest, 1 Cor. VI, officium- 14. 15. 16. et (2) Si vnionis cum Deo nostrum? facti simus participes, cauere, ne per- amorem præsentis sæculi illa nos denuo in- dignos reddamus eamue perdamus, con- tra vero eo contendere, ut iugi exercitio fidei

fidei et amoris in Christum in illa magis
magisque radices agamus et corroborare-
mur, 1 Cor. III, 17. c. VI, 17. Io. XIV, 23.
XV, 9. 10.

§. VIII.

Solacium fidelium est, (1) quod Deus Quodnam
ex parte sua sibi eos in perpetuum de. *solacium?*
Sponsauerit, Hof. II, 19. Io. XIV, 16.
Rom. VIII, 35 - 39. (2) quod ipsis propter
hanc unionem nec vires necessariae ad fan-
demoniam defuturae sint, nec necessaria
sub afflictionibus consolatio, Eph. III,
16. 17. Ies. XLIII, 1. 2. et (3) quod digni-
tas et praestantia huius unionis aliquan-
do patefacienda sit, 2 Thess. I, 10.

Apoc. XXI, 3.

ARTICVLVS NONVS

De

RENOVATIONE SIVE
SANCTIFICATIONE.

§. I.

Sextum et vltimum beneficium status gratiæ est *renouatio* siue *sanctificatio*, ad quam præcedentia diuina beneficia vocationis, 1 Theff. IV, 7. illuminationis, Eph. V, 8. regenerationis, Eph. II, 10. iustificationis, Rom. VI, 18. et mysticæ vnionis cum Deo respiciunt, Eph. III, 16. 17.

Sextum
benefi-
cium sta-
tus gratiæ
quodnam?

§. II.

Est autem *renouatio* beneficium totius *sacrosanctæ trinitatis*, *Patris*, 1 Theff. V, 23. 24. *Filii*, (tam per meritum, Hebr. IX, 14. Gal. III, 14. quam per efficaciam, Io. XV, 5.) et *Spiritus S.* Rom. VIII, 2. 9. 10. II. 14. Gal. V, 22. Quando ergo ab homine requiritur, vel de eo dicitur, tum hoc ipso indicatur, quid ex diuinis viribus, in regeneratione donatis, fieri et possit et debeat, 1 Cor. XV, 10. 2 Cor. III, 5. Phil. II, 13.

Cuius hoc
benefi-
cium est?

§. III.

Media re-
nouationis
quænam? *Media* renouationis sunt, (1) verbum Dei, 1 Pet. II, 2. et (2) sacramenta; bap-
tismus

ptifinus, Rom. VI, 3. 5. Tit. III, 5. et sacra
 cœna, Io. VI, 55. 56. 57. quæ media mini-
 stri ecclesiæ administrant, adeoque et in
 hoc beneficio tamquam adiutores et in-
 strumenta Dei spectandi sunt, 1 Cor. III, 6.
 Eph. IV, 11. 12. quo etiam ἐπιχορηγία si-
 ue mutua opitulatio membrorum Chri-
 sti, Eph. IV, 16. Col. II, 19. Rom. XV, 14.
 et variæ calamitates atque afflictiones re-
 ferendæ sunt, 1 Pet. IV, 1. Hebr. XII, 10.
 Rom. V, 3-5.

§. IV.

Homines, huius beneficii participes, Quinam
 sunt, qui in statu regenerationis et iusti- huius be-
 ficationis reperiuntur, Rom. VI, 22. Col. neficii par-
 III, 1-13. quippe qui secundum animam, ticipes
 Rom. XII, 2. Eph. IV, 24. et secundum sunt?
 corpus huius beneficii participes fiunt,
 Rom. XII, 1. VI, 12-19. 1 Theff. V, 23.

§. V.

Renouatio ipsa est istiusmodi diuinæ Renouatio
 gratiæ in hominibus regentis et iustifica- quid?
 tis operatio, qua residua in illis verus na-
 tura magis magisque infirmatur et abo-
 letur, noua autem magis magisque cor-
 roboratur et ad diuinam imaginem reno-
 uatur, Mal. III, 3. Io. XV, 2. 2 Cor. III, 18.
 Quatenus sensu §. II. indicato regentis
 competit, per eam idem illud intelligitur,
 quod sacra scriptura per τὸ deponere ve-
 terem

terem et induere nouum hominem, vel dominum Iesum Christum, Eph. IV, 22-24. Col. III, 9. 10. Rom. XIII, 14. aliasque plures locutiones emphaticas indicare solet. Cuiusmodi vide sis, Matth. XVIII, 8. 9. Col. III, 5. 1 Cor. V, 7. 8. 2 Cor. VII, 1. Eph. VI, 11. cet. id quod non sine lucta carnis et spiritus in regenitis perficitur, Gal. V, 16. 17.

§. VI.

In renouatione *dantur gradus*, quemadmodum ex discrimine inter filios, adolescentes et patres, 1 Io. II, 12. 13. 14. inter pueros et viros adultos in Christo, Eph. IV, 13. 14. inter imbecillos et fortes, Rom. XIV, 1. XV, 1. Hebr. V, 14. et ex proprietatibus, quæ cuilibet ordini tribuuntur, liquet. Vnde simul iugis incrementi necessitas intelligitur. Vid. etiam Col. II, 19. 1 Thess. IV, 1. 9. 10. 1 Cor. XV, 58. 2 Cor. IV, 16. VII, 1. Phil. III, 12-14.

§. VII.

Præcipui *renouationis fructus* quinam? *Præcipui fructus* renouationis et sanctificationis sunt, (1) bona in Christo conuersatio, 1 Pet. III, 16. (2) facultas spiritualis *dominacionis* seu explorationis, Rom. XII, 2. Phil. I, 9. 10. (3) veræ virtutes et bona opera, Gal. V, 22. (4) pax et gaudium in Spiritu sancto, Rom. VIII, 6. 13. XIV, 17. (5) instauratio diuinæ imaginis, 2 Cor. III, 18.

18. (6) vita æterna, Rom. VIII, 6. 22. 23. et (7) honor ac glorificatio gratiæ et virtutis Dei atque Christi, Matth. V, 16. Io. XV, 8. Phil. I, 11.

§. VIII.

Officium fidelium est, (1) ex acceptis spiritualibus gratiæ viribus in renouatione sedulo se se exercere, nec sub vilo prætextu studium sanctificationis in se se extinguere, Tit. II, 11. 12. 14. 2 Pet. I, 3. 5-11. Eph. V, 6-11. Hebr. III, 12. 13. XII, 14. seqq. Gal. V, 7-13. Rom. VI, 1. 2. (2) hunc in finem in Christo eiusque vnioune manere, Col. II, 12. 13. Io. XV, 4. 5. et (3) remediis, ad renouationem et spirituale incrementum præscriptis, fideliter et debito ordine uti. Vid. supra §. III.

§. IX.

Solacium eorum est, (1) quod ex quotidiana renouatione, tamquam indubitato criterio, se se in statu gratiæ esse, firmiter sibi persuadere possint, Rom. VIII, 1. 14. Gal. V, 23. 24. (2) quod omnia ex vera renouatione oriunda opera et virtutes amplè præmia habeant, 1 Cor. XV, 58. et (3) quod tandem ab huius mortis corpore prorsus liberandi et in plena imaginis Christi claritate ante Deum cum lætitia statuenti sint, 1 Cor. XV, 49. 54. 55. 56. Ep. Iudæ com. 24. Eph. V, 27.

ARTICVLVS DECIMVS
De
SACRA SCRIPTVRA.

§. I.

Quid iam
ordine se-
quitur
confide-
randum?

Consideratis hactenus diuinis benefi-
ciis atque operationibus *media* quo-
que *salutis*, per quæ Deus in ho-
minibus operari et efficaciam exserere
vult, consideranda sunt.

§. II.

Quænam
ista media?

Media ista sunt *verbum Dei* et *sacra-
menta*.

§. III.

Quomodo
heic agitur
de verbo
Dei?

De *verbo Dei* agendum est, (1) intuitu
libri, in quo continetur, qui vocatur *sa-
cra scriptura*, (2) intuitu diuersi eius ar-
gumenti.

§. IV.

Auctor sa-
cræ scri-
pturæ
quis?

Auctor sacræ scripturæ est *Deus triunus*,
Rom. III, 2. 2 Tim. III, 16. *Pater*, Hebr.
I, 1. *Filius*, 1 Io. I, 18. coll. Hof. XII, 10. 11.
Apoc. I, 11. 19. et *Spiritus sanctus*, cuius
instinctu loquuti sunt vel scripserunt san-
cti Dei homines, 1 Pet. I, 11. 12. 2 Pet. I,
20. 21. 1 Cor. II, 13.

§. V.

Quorum
in gratiam
sacra scri-
ptura data?

Homines autem illi ipsi sunt, quorum
in gratiam Deus sacram scripturam dedit;
vnde

vnde omnes ac singuli eam legendi et meditando non tantum *libertatem* et ius, sed diuinum etiam *mandatum* habent, Deut. V, 6. 7. Psalm. I, 1. 2. 2 Tim. III, 15. Act. XVII, 11.

§. VI.

Finis scripturæ sacræ est *eruditio* hominum *ad salutem*, siue vt per eam illuminentur, sanctificentur et ad communionem Dei perducantur, in eaque conseruentur, 2 Tim. III, 15. 16. Io. XX, 31. 1 Io. I, 3. 4.

§. VII.

Præcipuæ proprietates scripturæ sacræ sunt, (1) *auctoritas*, quam ab ipso Deo habet, in eo sita, quod eam, tamquam librum diuinum, accipere et in omnibus fidem ei habere, moremque gerere debemus. De qua diuina auctoritate Spiritus sanctus in eorum, qui ipsi haud resistunt; cordibus efficaciter testatur, 1 Io. V, 6. 10. 1 Theff. II, 13. Io. VII, 16. 17. (2) *perfectio*, quia omnia ad salutem necessaria continet et proponit. 2 Tim. III, 16. 17. Vnde pro vnica fidei ac vitæ regula habenda est, Ps. CXIX, 24. 105. Ies. VIII, 19. 20. Luc. XVI, 29. Rom. I, 16. Gal. I, 8. (3) *claritas* et *perspicuitas*, siquidem creditu et factu necessaria verbis clari et perspicuis exprimit, Ps. XIX, 8. 9. CXIX,

105. 2 Pet. I, 19. 20. Vnde illuminatio non ob scripturæ obscuritatem, sed ob naturalem mentis nostræ cœcitatē, requiritur, Luc. XXIV, 45. Eph. I, 18. (4) *Efficaciæ* in eo posita, quod animi hominum per eam diuinitus commoueri, interne immutari, ad diuinam imaginem renouari et diuino ac cœlesti solatio repleri possunt, Psalm. XIX, 8 - 12. Iac. I, 21. Rom. XV, 4. quam vero efficaciam homines multifarie in se ipsis et aliis *impediunt*, Marc. IV, 15. 19. Iac. I, 23. 24.

§. VIII.

Quis anima et nucleus totius scripturæ sacræ?

Anima et nucleus totius scripturæ sacræ est *Iesus Christus*, quippe de quo testamentum vetus tamquam adhuc futuro, Pf. XL, 8. Io. V, 39. Act. X, 43. Luc. XXIV, 44. nouum autem tamquam præsentē redemptore et seruatore testatur, Io. I, 46.

§. IX.

Quodnam nostrum officium secundum hanc doctrinam?

Officium nostrum est, (1) ad veram scripturæ sacræ intelligentiam a Deo Spiritum sanctum submitte petere, Pf. CXIX, 18. 19. (2) scripturam non solum diligenter legere, audire et meditari, sed simul quoque Spiritus sancti operationi ad mentis nostræ immutationem ac renouationem locum dare eique

eique obtemperare, Sirac. XIV, 22. 23. 24. Matth. VII, 24. 25. Luc. VIII, 15. et (3) illi tanquam vnicæ credendi et viuendinormæ, contra omnem deceptionem in doctrina et moribus, inhærere. Vid. supra §. VII. n. 2.

§. X.

Solacium est, (1) quod scripta prophetarum et apostolorum eiusmodi fundamentis nobis sint, cui in fide et vita tuto inniti et super quod exstrui possimus, Eph. II, 20. 2 Pet. I, 19. (2) quod ad veram salutaremque eius intelligentiam cælestis Pater Spiritum sanctum dare nobis velit petentibus a se, Luc. XI, 13. Eph. I, 18. seqq. et (3) quod in omnibus afflictionibus et tentationibus tantum solacium haurire possimus, quantum satis est. Vid. supra §. VII. n. 4.

ARTICVLVS VNDECIMVS
De
LEGE ET EVANGELIO.

§. I.

Verbum
Dei quid in
se conti-
net?

Verbum Dei continet in se *legem et euangelium.*

§. II.

Per legem
quam
doctrina
intelligi-
tur?

Per *legem* in sacra scriptura plerumque intelligitur doctrina, qua Deus hominibus aliquid præcipit vel interdicit, et qua illos ad perfectam obedientiam obligat, vel hanc minus præstantibus iustam pœnam denuntiat.

§. III.

Quotplex
autem est
lex?

Est autem lex diuina *triplex*, (1) *cerimonialis*, (2) *forensis*, (3) *moralis*.

§. IV.

In quibus
præceptis
lex cari-
monialis
consistit?

Lex cerimonialis in præceptis consistit, ad cultum Iudæorum Leuiticum præcipue spectantibus, et tantummodo ad Christum vsque obligantibus, qui hac ipsa cum officio et beneficiis suis varie adumbratus fuit, Col. II, 16. 17. Eph. II, 11. seqq. Hebr. IX. et X. Optima et rectissima huius legis interpretatio in ipsa sacra scriptura, præcipue autem in epistola ad Hebræos, reperitur.

§. V.

§. V.

Lex forensis ad administrationem re- Lex foren-
rum ciuiliū et forensium in gente Iu- sis ad quas
daica attinuit, quæ, manifestato Christo res atti-
et euerſa politia Iudaica, itidem abro- nuit?
gata eſt et chriſtianos homines ſub nouo
foedere eatenus haud amplius obligat,
Rom. XIII, I.

§. VI.

Lex moralis eſt, quæ in prima creatio- Lex mora-
ne hominis menti a Deo inſcripta, et in lis quid?
perfecta dilectione Dei ac proximi, vt-
pote communi omnium hominum officio,
ſita fuit, Gen. I, 27. coll. I Io. IV, 16.
Per lapſum lex iſta exſpirauit, Rom. III,
16. ſeqq. VIII, 7. Poſtea Deus illam de-
cem præceptis, in duabus tabulis lapi-
deis deſcriptis, comprehenſam, populo
Iſraelitico magna cum maieſtate in monte
Sinai promulgauit, Exod. XIX, 16. ſeqq.
XXIV, 12. XXXIV, 1. Hebr. XII, 18-21.
Iſta autem lex hominem lapſum iuſtifica-
re vitam ei conferre nequit, Gal. II, 16.
III, 21. ſed tantummodo patefacit pecca-
tum, Rom. III, 20. VII, 7. operatur iram,
c. IV, 15. occidit, 2 Cor. III, 6. et exſe-
rationem ac damnationem denuntiat,
com. 9. Gal. III, 10.

§. VII.

§. VII.

Quot præceptis comprehensa est hæc lex?

Decem præceptis hanc legem Deus comprehendit et tabulis lapideis inscripsit, quorum *summa est in dilectione Dei et aliorum hominum*, Deut. VI, 5. Matth. XXII, 37-40. Rom. XIII, 8-10.

§. VIII.

Euangelium quid denotat?

Euangelium denotat *letum nuntium*, et doctrina est, quæ nobis Christum proponit et bona omnia, quæ in ipso habemus per fidem, Io. III, 16. Rom. I, 16. et hoc ipsum viuificat, 2 Cor. III, 6. confert Spiritum, com. 8. iustitiam, com. 9. pacem, Eph. VI, 15. vitam et incorruptibilitatem, 2 Tim. I, 10. siue, quod idem est, potentia est Dei ad salutem cuius credenti, Rom. I, 16.

§. IX.

Quodnam secundum hanc doctrinam officium nostrum?

Officium nostrum est, (1) Deo pro voluntatis suæ per legem et euangelium facta reuelatione submissas gratias agere, (2) ab ipso sapientiam petere lege et euangelio ita vtendi, vt vtriusque finis in nobis obtineatur, et (3) istam pariter et hoc diligenter meditari, et omnibus doctrinis et traditionibus humanis longissime

me præferre, vtpote quibus Deus miracula et mysteria sua inuoluit atque recondidit, Pf. I, 2. LI, 8. CXIX, 18.

§. X.

Solatium est, (1) quod Christus nos ab execratione legis redemerit, Gal. III, 13. IV, 4. 5. Rom. VIII, 3. Act. XIII, 38. 39. (2) quod legem per Spiritum suum sanctum in pectora nostra dare et cordi inscribere velit, si in ipsum credamus, Ier. XXXI, 33. Ezech. XXXVI, 26. 27. Hebr. VIII, 10. et (3) quod in gustatione et fruitione bonorum et thesaurorum euangelii veram summamque filiorum huius sæculi felicitatem quam longissime superans, beatitas sita sit, Pf. XXXVI, 9. 10. I Pet.

I, 10. 12. Hebr. XI, 24 - 26.

XII, 22 - 24. 28.

Quodnam
solatium?

ARTICVLVS DVODECIMVS
De
CLAVIBVS CAELO-
RVM.

§. I.

Quznam doctrina nunc consideranda est?

CVM articulo de lege et euangelio commode connectitur doctrina de *clauibus calorum.*

§. II.

Per claues calorum quid in genere et in specie intelligitur?

Per hasce claues plerumque intelligitur concredita ecclesie Christi, eiusque fidelibus ministris potestas remittendi et retinendi peccata, Io. XX, 22. 23. Act. XIII, 46. inprimis autem spiritualis illa potestas ecclesie Iesu Christi hoc in mundo indicatur, qua membra sua, pro diuersa eorum conditione, vel, retentis peccatis, communionem suam excludere, vel, remissis peccatis, in eandem rursus recipere potest, 1 Cor. V, 13, quo posteriore sensu de illis in hoc articulo præcipue agitur.

§. III.

Vnde ista spiritualis vis ac potestas?

Ista spiritualis vis ac potestas ab ipso Deo et Iesu Christo est, qui eam ecclesie suae impertiuit, nomine suo et virtute spiritus sui exercendam, Matth. XIII, 18. 19. Io. XX, 22. 1 Cor. V, 4. 2 Cor. II, 10.

§. IV.

§. IV.

Claues celorum sunt, *clavis ligans* et *clavis solvens*, Matth. XVI, 19. XVIII, 15-20.

Quanam sunt claves celorum?

§. V.

Vfus clavis ligantis hic est, quando ecclesia quaedam christiana illis, qui membra ipsius videri volunt, et in publicis tamen peccatis et scandalis viuunt, peccata sua in nomine Christi retinet, eosque indignos declarat, qui Christiani vocentur, et mutua reliquorum Christianorum communione ac familiaritate vtantur, Matth. XVIII, 17. 1 Cor. V, 2. 7. 9. 13.

Vfus clavis ligantis quis?

§. VI.

Vfus clavis soluentis is est, quando ecclesia quaedam christiana illis, quos ligat, vitæ emendatæ satis perspectis signis ac fructibus, nomine Iesu Christi non solum peccata remittit, sed eos quoque in mutua ac fraternam communionem denuo recipit, 2 Cor. II, 7-10.

Vfus clavis soluentis quis?

§. VII.

Finis huius spiritualis potestatis, inuitu clavis ligantis, est, vt ligatus seuu- riori ista disciplina corrigatur et datum ab eo scandalum hoc modo tollatur, ca-

Finis huius spiritualis potestatis quis?

F

ueatur.

veaturque, ne malum per reliquum coe-
tum serpat longius, 1 Cor. V, 5. 6. Intuitu
autem clauis soluentis finis est, vt homo de
peccatis vere dolens et resipiscens pecca-
torum remissione sui que in ecclesie com-
munionem restitutione erigatur et conso-
lationem inueniat, 2 Cor. II, 7. 10. 11.

§. VIII.

Valor et ef-
ficacia legi-
tими vsus
clauis in
quo confi-
sit?

Valor et efficacia legitimi vsus clauium
in eo consistit, quod, quaecumque eccle-
sia Christi vel ministri illius dicto modo in
terra ligant, in caelo ligata sunt, et quae-
cumque solunt, in caelo soluta sunt, Matth.
XVI, 19. XVIII, 18. Io. XX, 23.

§. IX.

Quodnam
officium
nostrum
secundum
hanc do-
ctrinam?

Officium nostrum est, (1) ex hoc ordine
cum magnam Dei seueritatem aduersus
peccata extimescere, tum misericordiam
eius in resipiscentes cognoscere et cele-
brare; (2) non solum nobis ipsis a pec-
catis et scandalis diligenter cauere, Matth.
XVIII, 6. seqq. Hebr. XII, 15. 16. sed alios
etiam, qui in illis viuunt, reprehendere,
Matth. XVIII, 15. seqq. et (3) illis, qui

ad frugem redeunt, ex animo condonare, Matth. XVIII, 21. 22. Luc. XVII, 4.

§. X.

Solacium verorum ecclesie Christi membrorum est, (1) quod ex hac a Christo donata potestate et promisso simul valore et efficacia de arcta sui vnione et communione cum ipso certi esse possint, (2) quod dies futurus sit, quo malum a bono et bonum a malo perfecte separabitur, Matth. XVIII, 30. 38. 40. 43. XXV, 32. 40. 41. Pl. I, 5. Apoc. XXI, 27. XXII, 15. et (3) quod ipsi cum Christo mundum eiusque principem tunc iudicaturi sint, 1 Cor. VI, 2. 3.

Quodnam solacium?

ARTICVLVS DECIMVS
TERTIVS

De
SACRAMENTO
BAPTISMI.

§. I.

Quid præ-
terea ad
media sa-
lutis spe-
ctat?

AD media salutis præter verbum Dei
sacramenta etiam spectant.

§. II.

Sacramen-
tum quid?

Per *sacramentum* eiusmodi actio sacra
intelligitur, qua Deus per externa, ab
se ipso mandata, signa et media, inuisi-
bilia sua et caelestia bona exhibet.

§. III.

Quot sunt
sacramen-
ta?

In nouo foedere sacramenta ista sunt
baptismus, qui circumcisioni, Gen. XVII,
Col. II, II. 12. et *sacra cæna*, quæ agno
paschali successit, Exod. XII.

§. IV.

Auctor
baptismi
quis?

Auctor baptismi Deus ipse est, Io. I, 33.
speciatim *Christus Iesus*, qui non tantum
constans exercitium eius suis discipulis
iniunxit, Matth. XXVIII, 18-20. sed suo
etiam ipsius exemplo, quum a Ioanne
baptismum suscepit, eum confirmauit et
sanctificauit, Matth. III, 13. seqq.

§. V.

§. V.

Institutus autem est *pro omnibus homi-* Pro quibus
nibus, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. 16. institutus?
 et cum aqua peragendus *in nomine Patris,*
Filii et Spiritus sancti, loc. cit. et Io, III, 5.
 1 Io, V, 8.

§. VI.

Virtus, efficacia et utilitas baptismi est Virtus, ef-
 remissio peccatorum, Act. II, 38. XXII, 16. ficacia et
 Eph. V, 26. regeneratio, Io, III, 5. trans- vtilitas
 latio in communionem sanctæ trinitatis eius quæ-
 Christi et omnium fidelium, Matth. nam?
 XXVIII, 19. Gal. III, 27. 28. 1 Cor. XII, 13.
 siue, vt summatim dicam, æterna beacitu-
 do, 1 Pet. III, 20. 21. Hæc autem baptismi
 virtus non ex aqua in se spectata, nec ex
 dignitate baptizantis proficiscitur, sed ex
 diuina institutione, et virtute mortis ac
 resurrectionis Iesu Christi, quam Spiritus
 sanctus baptismum suscipienti applicat,
 Rom. VI, 3-9. Col. II, 12.

§. VII.

Quemadmodum baptismus Christi mor- An bap-
 tem ipsius, sepulturam, resurrectionem, tismus etiam
 adscensionem, Spiritus sancti effusionem mysticam
 et euangelii sub vniuerso cælo propagatio- significati-
 nem adumbravit: ita baptismus noster onem ha-
 mysticam habet *significationem*, in eo sitam, bet?
 (1) quod vetus Adam quotidie in nobis
 submergi et extingui debeat, atque rursus

quotidie *emergere* ac *resurgere* *novus* homo, qui in iustitia et puritate coram Deo vivat in aeternum, Rom. VI, 4. Eph. IV, 22-24. (2) quod tota vita Christianorum *vita crucis* sit, ex qua autem *liberatio* speranda, vid. Luc. XII, 50. Matth. XX, 23. (3) quod quidem corporaliter moriantur, ex morte tamen *resuscitandi* sint, 1 Cor. XV, 29.

§. VIII.

Fœdus baptismale quomodo se habet? In baptismo initur fœdus, quo Deus triunus sese cum omnibus bonis suis homini donat; homo autem vicissim peccati et Satanæ consortio renuntiat, Deoque triuni se dicat et adscribit, 1 Pet. III, 20. 21.

§. IX.

Officium baptizatorum qua in re consistit? *Officium* baptizatorum est, (1) beatitudine, in quam per baptismum translati sunt, et fœdere, quod cum Deo iniere, digne ambulare, Rom. VI, 2. seqq. (2) vel, si eo exciderunt, per veram respicientiam sine mora illud renouare. Vid. Ier. III, 1. 12.

§. X.

Solacium baptizatorum quodnam? *Solacium* baptizatorum est, (1) quod fœdus, cum Deo in baptismo ietum, ex parte ipsius firmum sit, vid. Ps. CV, 8. Rom. XI, 29. 2 Cor. I, 20. (2) quod Deus hoc ipse Deus eorum et summum bonum, ipsi autem Dei peculium in perpetuum facti sint. Vid. supra §. VI.

ARTI-

ARTICVLVS DECIMVS
QVARTVS

De
SACRA COENA.

§. I.

Alterum noui fœderis sacramentum
est sacra cœna.

Quomodo
alterum sa-
cramen-
tum noui
testamenti
appellatur?
Quis eius
auctor?

§. II.

Auctor eius est Iesus Christus dominus
noster, quippe qui eam non tantum paulo
ante mortem suam piacularem, post
esum agni paschalis, instituit; sed con-
stantem quoque eius usum et exercitium
vsque ad postremum aduentum suum dis-
cipulis iniunxit, Matth. XXVI, 26. Marc.
XIV, 22. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 23. 24.

§. III.

Res, quæ in sacra cœna exhibetur et
sumitur, est vel *visibilis et terrena*, vel *in-
visibilis et cœlestis*. Visibilis et terrena est
panis et vinum, inuisibilis et cœlestis est
verum corpus domini nostri Iesu Christi,
pro nobis datum, et verus ipsius sanguis
pro nobis effusus, in remissionem pecca-
torum: quod corpus vere est cibus, et
qui sanguis vere est potus, vid. loc. cit.
et Io. VI, 55.

Quid in
sacra cœna
exhibetur
et accipi-
tur?

F 4

§. IV.

§. IV.

Forma huius sacramenti in quonam consistit?

Forma huius sacramenti consistit in integra actione, quæ ab ipso Christo observata et præscripta est, et consecrando, distribuendo, manducando et bibendo peragitur.

§. V.

Pro quibus sacra cœna est instituta?

Vti baptismus, ita etiam sacra cœna pro omnibus hominibus instituta est. Interim nulli eam participant digne, nisi qui veri discipuli Christi sunt. Qui aliter sunt comparati, per usum eius rei fiunt corporis et sanguinis Christi, et damnationem ipsi sibi comedunt et bibunt, 1 Cor. IX, 27. 29.

§. VI.

Quinam finis, utilitas et fructus eius?

Finis, utilitas et fructus eius est, (1) *Practica* et applicatiua mortis et effusi sanguinis domini nostri Iesu Christi recordatio, Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 25. 26. (2) Donatæ remissionis peccatorum obfignatio, Matth. XXVI, 27. 28. (3) Arcior cum Christo communio, 1 Cor. X, 16. Io. VI, 56. (4) Vitæ spiritualis corroboratio, com. 53. 57. (5) Cum omnibus veris corporis Christi membris in spiritu coniunctio, 1 Cor. X, 17. XII, 13. (6) Spei nostræ de futura corporum nostrorum resurrectione

tionem et vitam æternam confirmatio et ob-
signatio, Io. VI, 50. 51. 54. 58.

§. VII.

Officium participantium est, (1) ex apo-
stolico præscripto se ipsos explorare,
(2) mortem Domini adnuntiare, 1 Cor. XI,
26. 28. et (3) ei, eiusque causa aliis etiam
cum sinceræ caritatis ac fidelitatis studio
sefe tradere, quemadmodum ipse in sa-
cra cœna edendum et bibendum sefe ex-
hibet.

Quodnam
officium
participantium?

§. VIII.

Solacium digne participantium situm
est in multiplici fructu, qui ex digno cor-
poris ac sanguinis Christi usu perci-
pitur. Qua de re supra

Qua in re
solacium
digne par-
ticipantium
situm?

§. VI.

ARTICVLVS DECIMVS
QVINTVS

De

POENITENTIA ET
CONVERSIONE.

§. I.

Post diuina
beneficia
et media
salutis
quid porro
spectan-
dum?

Post diuina beneficia et media salutis nobis, statum gratiæ iam considerantibus, diuinus etiam *ordo* spectandus est, quem ingredi homo debet, si ex statu peccati in statum gratiæ et hinc in statum gloriæ transferri cupiat.

§. II.

Quid ad
istum diu-
inum ordi-
nem perti-
ner?

Pœnitentia et conuersio quale opus est?

Huc imprimis pertinet vera *pœnitentia* et *conuersio*, Matth. III, 2. IV, 17. Luc. XXIV, 47.

§. III.

Pœnitentia et conuersio *opus* quidem est *Dei triuinus*, ad quod homo in peccatis mortuus nihil conferre valet, Ier. XXXI, 18. Phil. I, 6. *ab homine* autem, tamquam pars diuini ordinis, *requiritur*, vt significetur, eum oblati Spiritus sancti viribus non malitiose resistere, sed locum relinquere, et in orando, quærendo et pulsando studium et fidelitatem suam probare debere, Apoc. III, 20. coll. Act. VII, 51. Matth. VII, 7.

§. IV.

§. IV.

Medium ordinarium pœnitentiæ et con-
uersionis est verbum Dei, Luc. XVI, 29 - 31. *Medium ordinarium illius quodnam?*
utpote quo tum peccatum et ira Dei ad-
uersus peccatum in conscientia reuela-
tur, tum Christus Iesus ob oculos propo-
nitur, et potentia in ipsum credendi ex-
hibetur, Rom. I, 16. X, 14. De aliis mediis
pædagogicis externorum beneficiorum,
iudiciorum, morborum, bonorum exem-
plorum, cet. vid. supr. part. II. Artic. IV.
§. IV.

§. V.

Pœnitentiæ et conuersione *omnes omni-*
no homines egent, utpote per primorum *Quinam homines*
parentum defectionem a Deo auersi, Act. *pœnitentiæ et conuer-*
XVII, 30. XXVI, 18. neque tamen vlli reu- *sione egent?*
ra conuertuntur, nisi qui gratiæ, ad pœniten-
tiam inuitanti et erudienti, parent, eique non
malitiose repugnant, Act. II, 37. I Theff. II, 13.

§. VI.

Natura autem et *forma* pœnitentiæ et *Natura et forma pœ-*
conuersionis non consistit in externa mo- *nitentiæ et conuer-*
rum, verborum atque operum mutatio- *sionis qua-*
ne, sed proprie et præcipue in interna *nam in re*
mutatione mentis ac voluntatis, Act. *consistit?*
XXVI, 18. vid. supra part. II. artic. VI. §.
V. VI. quæ incipit ab agnitione profundæ
miseriæ, Pl. LI, 5. 7. cum eaque coniun-
cta tristitia secundum Deum, dolore ac
contri-

contritione cordis, Luc. XV, 19. 21. XVIII, 13. 2 Cor. VII, 9. 10. in qua fides in Christum nascitur, quæ initio in fame et siti diuinæ gratiæ et spiritualium virium sese prodit; petendo, quærendo et pulsando instat; Christum iusticiam suam accipit, et hoc modo conscientiaæ terrores peccati- que dominium vincit, Orat. Manass. com. II. 12. 13. Pf. LI. tot. Rom. V, 1. 1 Io. V, 4.

§. VII.

Quinam
finis veræ
pœnitentia?

Finis veræ conuersionis ac pœnitentia est, vt homo a potestate Satanæ liberetur, in regnum gratiæ et hinc in regnum gloriae transferatur, adeoque omni gratia ac beatitudine per Christum parta perfruat, Col. I, 13. Act. XXVI, 18. Rom. VI, 22.

§. VIII.

Quænam
præcipua
conuersionis
impedimenta?

Præcipua veræ conuersionis *impedimenta* sunt, (1) arrogans hominis de se iam conuerso persuasio, Luc. XVI, 15. XVIII, 9. 10. 12. 14. Matth. XIX, 20. XXI, 31. Io. IX, 41. (2) Voluntaria bonorum motuum diuini spiritus suffocatio, Prou. I, 23-25. 29. 30. Marc. IV, 19. Hebr. IV, 7. (3) Externa et simulata pœnitentia, Ies. LII, 2. 3. Hof. VII, 6. 16. Ioel. II, 12. 13. (4) Carnalis fiducia in misericordia Dei et Christi merito, Sirac. V, 6. 7. Rom. VI, 1. Ep. Iud. com. 4. (5) Carnalis fiducia in exteriorum

diorum salutis vſu, cultu diuino, religio-
ne et piis maioribus, Ief. I, 11-16. Luc.
XIII, 25-27. Matth. III, 9. Ier. VII, 3, 4.
(6) Abufus diuinæ longanimitatis et bene-
ficiorum, Pf. L, 21. Sirac. V, 4. Rom. II,
4. 5. (7) Carnalis fecuritas, Luc. XII, 19.
20. Sirac. V, 5. (8) Dilatio pœnitentiæ, Si-
rac. V, 8. XVIII, 22. Hebr. IV, 7.
et (9) Desperatio, Matth. XXVII, 4. 5.

§. IX.

Officium nostrum est, (1) indicata im-
pedimenta omnia fugere, contra ea ope-
rationibus Spiritus sancti ad efficiendam
in nobis pœnitentiam locum relinquere, Ief.
LX, 3. 4. Apoc. III, 19, 20. (2) in certami-
ne pœnitentiæ durare, Sirac. IV, 18-21.
VI, 18-22. (3) dignos pœnitentiæ fructus
edere, Matth. III, 8. et (4) aliorum et-
iam emendationi ex donata nobis gra-
tia inferuire, Psalm. LI, 15. Iac. V, 19, 20.
1 Pet. III, 1.

§. X.

Solacium est, (1) quod Deus pœnitenti-
bus peccata sua et pœnas peccatorum con-
donare eosque omnibus gratiæ ac salutis
bonis beare in Christo velit, Prou. XXVIII,
13. Ief. I, 16-18. 1 Io. I, 9. Luc. XV, 20. seqq.
(2) quod Deus, et omnia, quæ Dei sunt in
cælo atque in terra, ob respiciendam no-
stram exhilarantur, Luc. XV, tot.

ARTI-

ARTICVLVS DECIMVS
SEXTVS

De
FIDE.

§. I.

Quid præ-
terea ad di-
uinum sa-
lutis ordi-
nem spe-
ctat?

AD diuinum salutis ordinem *fides* quoque, et inprimis quidem, spectat.

§. II.

De origine
fidei quid
notan-
dum?

De *origine* fidei notandum est, quod fit *diuinum opus*, siue operatio Dei triu-
nius, Io. VI, 29. 44. 45. Phil. I, 29. Col. II,
12. 1 Cor. XII, 3. 2 Cor. IV, 3.

§. III.

Per quod-
nam me-
dium Deus
fidem ope-
ratur?

Medium, per quod Deus ordinarie fi-
dem operatur, *verbum est euangelii*, Io.
XVII, 20. Rom. X, 14. 15. 17. per quod
etiam nutritur et corroboratur, 1 Pet. II, 2.

§. IV.

Quinam
homines
ad fidem
pertin-
gunt?

Omnibus hominibus, quibus euange-
lium adnuntiatur, per hoc ipsum suffi-
cientes vires credendi *offeruntur*, Act.
XVII, 31. qui autem tenebras magis quam
lucem

lucem amant, sua culpa ad fidem inepti manent, Eph. V, 14. Io. III, 18. 19.

§. V.

Fides ipsa est lumen caeleste, cuius be- Fides
nesicio homo Iesum Christum tamquam quid?
servatorem suum agnoscit, et istiusmodi
diuina virtus, qua ad ipsum contrito et gra-
tiae cupido animo confugit, eum suscipit in
eoque acquiescit, Gal. I, 15. 16. 2 Cor. IV, 6.
Math. XI, 28. Io. I, 12. Phil. III, 7. 8. 9.
Cantic. III, 4.

§. VI.

Fides vim ac virtutem habet et iustifi- Qualem
cantem et sanctificantem. Illa in hoc sita vim habet
est, quod per eam peccatorum remissio- fides?
nem et gratiam Dei consequimur, Rom.
III, 24-26. IV, 2. 3. 5. 6. 16. Gal. II, 16.
hac, quod cor purgat, in eoque imagi-
nam Dei in sanctitate et iustitia instaurat,
A&. XV, 9. Rom. III, 31. Vtraque autem
virtus fidei competit, quia et quatenus
Christum, cuius ex plenitudine istam gra-
tiam consequitur, apprehendit et accipit,
Eph. III, 17.

§. VII.

§. VII.

Quodnam fidelium officium? *Officium fidelium est, (1) quemadmodum Christum fide acceperunt, ita in eo viuere et ambulare, Gal. II, 20. Col. II, 6. (2) fidem suam per caritatem et varia bona opera efficacem demonstrare, Gal. V, 6. 2 Pet. I, 5. seqq. Iac. II, 14. seqq. et (3) non committere, vt huius vitæ calamitatibus, vel amore sæculi a fide reuocentur, sed in ea ad mortem vsque constanter persistere, 1 Tim. I, 18. 19. VI, 4. 10. II. Hebr. III, 12. 14.*

§. VIII.

Quodnam eorum solatium? *Solatium fidelium est, quod per fidem ab omni miseria et infelicitate liberati, et Christi ad veram et sempiternam salutem suam participes facti sint, Marc.*

XVI, 16. Io. III, 16. 18. 36. V, 24.

XI, 25. 26. Eph. II, 8.

ARTICVLVS DECIMVS
SEPTIMVS

De

BONIS OPERIBVS.

§. I.

Diuini ordinis, quo homini ad æternam vitam aditus patet, pars necessaria et ardua est exercitium bonorum operum, utpote sine quibus fides mortua est per se; Iac. II, 17.

Quid portet ad diuinum ordinem pertinere?

§. II.

Causa principalis omnium bonorum operum est ipse Deus triunus, Phil. II, 13. *speciatim Pater*, Eph. II, 10. Hebr. XIII, 20. 21. *Christus*, Tit. II, 14. Io. XV, 4. 5. 16. et *Spiritus sanctus*, Gal. V, 22. Eph. V, 9.

Quis omnium bonorum operum causa principalis?

§. III.

Medium, per quod Deus in nobis bona opera efficit, est *sanctum ipsum uerbum*, 2 Tim. III, 16. 17. Bona etiam exempla fidelium Deus eo prodesse iubet, ut alii ad bonorum operum studium excitentur, Matth. V, 16. 2 Cor. XIII, 1. IX, 2.

Per quodnam medium Deus bona opera efficit?

§. IV.

Homines, in quibus et per quos bona opera a Deo efficiuntur, non sunt alii, quam

Quinam homines bona opera facere possunt?

quam qui per fidem in Christum *regenerati* et *iustificati*, siue saluati sunt, Eph. II, 8. 10. Io. XV, 16. Matth. XII, 33.

§. V.

Quid ad naturam et indolem bonorum operum requiritur?

Ad naturam et indolem bonorum operum requiritur, vt ex nouitate spiritus proficiantur, Rom. VII, 6. siue ex diuina natura, quam Deus in regeneratione producit, 2 Pet. I, 4. seqq. Ezech. XXXVI, 26. 27. Vnde omnia bona opera a fidelibus, quatenus regenerati sunt, sine coactione et ex spiritu spontaneo fiunt, Psalm. CXIX, 56. 57. 77. Rom. VI, 17. et a nudis operibus legis, aut quæ speciem tantum boni et recti habent, differunt, Matth. VI, 1-5.

§. VI.

Exercitium bonorum operum cur necessarium?

Exercitium bonorum operum necessarium est, non ad peccatorum remissionem, vel salutem (initio aut postea) consequendam, Luc. XVII, 10. sed quia ex gratia regenerationis et renouatione Spiritus sancti per se fluunt, vid. supra §. IV. ac sine illo exercitio et per mala opera fides, siue spiritualis vita fidei, extinguitur, et Spiritus sanctus tristitia adficitur atque amittitur, 1 Tim. VI, 10. Eph. IV, 30.

§. VII.

Quodnam fidelium officium

Officium fidelium est, (1) acceptas in regeneratione vires gratiæ ad bonorum operum

rum exercitium fideliter adhibere, 2 Pet. I, 5. seqq. Iac. II, 14. (2) eo contendere, vt in isto exercitio magis atque magis proficiant et abundant, Phil. I, 11. Marc. IV, 20. et (3) in eodem exercitio constantiam suam probare vsque ad vitæ finem, Gal. VI, 8. 9. 1 Thess. V, 15. 2 Thess. III, 13.

§. VIII.

Solacium fidelium est, (1) quod ex bonis operibus, tamquam criteriis et fructibus, de statu gratiæ certi esse possint, 1 Io. III, 19. 20. (2) quod Deus adhærentes ipsi nauos non imputare sed magis magisque ab illis eos expurgare, Io. XV, 2. et (3) pro gratia sua et promissione temporalibus et sempiternis præmiis adficere velit, Ies. III, 10. Mal. III, 16 - 18. Matth. V, 3 - 12. XXV, 34. 35. 36. Gal. VI, 8. 9. 1 Cor. XV, 58.

secundum
hanc do-
ctrinam?

Quodnam
fidelium
solacium?



ARTICVLVS DECIMVS
OCTAVVSDe
CRUCE.

Quid cum
pœnitentia,
fide et bonis
operibus
coniunctum
et sociatum
est?

§. I.

CVM pœnitentia, fide et bonorum operum exercitio *cruce* ineuitabiliter coniuncta et sociata est, 2 Tim. III, 12. Ag. XIV, 22.

§. II.

A quonam omnis *cruce* proficiscitur? *Is, a quo* tamquam suprema causa *cruce* omnis proficiscitur, ipse Deus est, 1 Sam. II, 6. utpote cuius sine voluntate et prouidentia nihil aduersi nobis potest accidere, Matth. X, 29. 30. et qui filiorum suorum cuiuslibet *cruce*, quam eis salutarem esse intelligit, destinat et immittit, Hebr. XII, 5. 6.

§. III.

Quinam illi, quos *cruce* dignatur Deus? *Illi, quos* *cruce* dignatur Deus, omnes ipsius filii sunt, siue omnes, qui volunt in Christo Iesu pie viuere, Hebr. XII, 6. 7. 2 Tim. III, 12. Io. XV, 19. neque tamen omnes eadem *cruce*, nec eadem *cruce* mensura, adficiuntur, sed Deus unicuique tantum immittit, quantum vult, Io. XXI, 18. 22. Calamitates, quibus premuntur impii, sunt *iuste pœne peccatorum*, per

per quas tamen Deus ad frugem eos reuocare studet, Deut. XXX, 1. Apoc. XI, 13. XVI, 9.

§. IV.

Natura et indoles crucis in eo consistit, Natura et quod afflictio sit, quæ in se spectata non indoles potest non dolores adferre, quos Deus crucis in tamen filiis suis, consolationem suam sub- quoniam ministrando, lenire solet, 2 Cor. I, 3-5. consistit?

§. V.

Omnes *perpessiones*, quæ fidelibus ac- Quotupli- cidunt, vel eiusmodi sunt, vt eas cum ces per- ceteris mortalibus, tamquam miseri et pec- pessiones cato infecti homines, certo modo habeant fidelium? communes, vel tales, vt veris Christianis propriæ sint ac peculiare. Quo loco tam externæ afflictiones, quas propter pietatis studium a mundo sustinent, Matth. V, 10. 12. X, 17. 18. 1 Cor. IV, 9. 10. quam internæ passiones et tentationes habendæ sunt, Iob. I. et II. et cap. VI, 4. 2 Cor. XII, 7. Luc. IX, 23.

§. VI.

Finis, propter quem Deus liberis suis Cur Deus crucem immittit, est, vt a peccatis probi- filiis suis beantur, 1 Pet. IV, 1. 2. 2 Cor. XII, 7. in fi- immittit de probentur et explorentur, 1 Pet. I, 7. crucem? IV, 12. Rom. V, 4. Christo crucifixo conformes reddantur, Rom. VIII, 29. 2 Cor. IV, 10. in sanctimonia prouchantur,

Hebr. XII, 10. et potentia Dei in ipsius gloriam agnoscatur et celebretur, Io. XI, 4. 2 Cor. XII, 9. 10.

§. VII.

Quodnam fidelium officium secundum hanc doctrinam? *Officium fidelium est, (1) omnes afflictiones tamquam ab ipso Deo Deique ex manu accipere, Io. XIII, 11. XIX, 17. 2 Sam. XVI, 10. 11. Iob. I, 21. (2) patienti et tranquillo animo eas ferre, Sirac. II, 4. (3) eo contendere, ut, quem Deus per illos intendit, finis in ipsis obtineatur, Rom. V, 3. 4. Thren. III, 26-30. Rom. XII, 12. Hebr. X, 36. et (4) gloriosum et beatum earum exitum fide sperare et expectare, Hebr. XII, 11. Iac. V, 10. Sir. II, 11. 12.*

§. VIII.

Quodnam solatium contra crucem? *Solatium fidelium est, (1) quod Deus ipsis numquam gravius onus imponat, quam cui eos esse scit ferendo, 1 Cor. X, 13. (2) quod ex cruce et afflictionibus, maxime ex odio mundi, certo possint colligere, se non de mundo sed Christi esse, Io. XV, 19. XVII, 14. et (3) quod breuem levemque calamitatem, quæ hoc tempore ferenda est, æterna et longe gravissima gloria subsequutura sit, Pf. CXXXVI, 5. 6. Rom. VIII, 18. 2. Cor.*

IV, 17.

ARTI-

ARTICVLVS DECIMVS
NONVS

De
PRECIBVS.

§. I.

AD diuinum salutis ordinem, quem haectenus considerauimus, spectat etiam sedulum *precum* exercitium.

Quid praeterea ad diuinum salutis ordinem spectat?

§. II.

Preces non sunt opus humanarum virium, sed *opus Spiritus sancti*, qui hinc Spiritus gratiae et *precum* vocatur, Zach. XII, 10.

Preces quodnam opus?

§. III.

Adorandus et inuocandus, solus Deus unus est, *Pater, Filius et Spiritus sanctus*, Matth. IV, 10. vtpote qui tamquam Deus omniscius necessitates nostras et desideria optime nouit, Psalm. XXXVIII, 10. Rom. VIII, 27. et tamquam Deus omnipotens omnibus difficultatibus, quibus premitur, succurrere et mederi potest, Eph. III, 20.

Quis adorandus?

§. IV.

Inuocare Deum siue *precar* omnium quidem hominum munus est, neque tamen alii ita orare possunt, vt Deo placeant

Num omnes homines debent possuntque et orare?

et exaudiantur, quam penitentes, regeneriti et fideles, Psalm. CXXX, 1. et Io. III, 22. V, 14. 15. Gal. IV, 4. 5. alienorum a penitentia et infidelium preces Deo abominationi sunt, Io. IX, 31. Prou. XXVIII, 9.

§. V.

Quanam
res a Deo
petendae
sunt?

Res a Deo petendae, in oratione dominica summam propositae omnesque ita comparatae sunt, ut promissionem Dei in Christo Iesu pro fundamento habeant, et ad temporalem ac spiritualem nostram salutem necessario requirantur. Generatim magis de bonis spiritualibus quam corporalibus in precibus sollicitos esse nos oportet, Marth. VI, 33. et Reg. III, 5. 11. 13. quod fieri, nisi deposita mente carnali, non potest.

§. VI.

Veri et fideles Christiani pro quibusnam orare debent?

Veri et fideles Christiani non tantum *pro se ipsis* orare debent, verum *pro fratribus etiam suis*, Eph. VI, 18. immo *pro omnibus hominibus*, et Tim. II, 1. atque ad hoc *pro ipsis inimicis*, Marth. V, 44. Luc. XXIII, 34. Act. VII, 59. speciatim pro regibus et omnibus potestate pollentibus, et Tim. II, 2. pro fidelibus doctoribus et ministris ecclesiae, Eph. VI, 19. Hebr. XIII, 18. cet.

§. VII.

Praeces
quid?

Praeces ipsae sunt submissa imploratio divinae gratiae et petitio istorum bonorum, quibus

quibus egemus, quæ vel cum externorum verborum pronuntiatione, vel sola mentis eleuatione ad Deum fieri solet, Pf. X, 17. XIX, 15. Faciendæ autem sunt preces cum vera animi attentione, Matth. XV, 8. Pf. CXLV, 18. in vera paupertate spiritus, Gen. XVIII, 27. Iudith. IX, 13. Luc. XVIII, 10-14. cum fide et filiali fiducia, Marc. XI, 24. Iac. I, 6. Gal. IV, 6. in nomine Iesu Christi, Io. XIV, 13. 14. XV, 7. XVI, 23. 26. Hebr. X, 19-22. ex diuina voluntate, 1 Io. V, 14. quæ omnia Christus vocat *Patrem adorare in spiritu et veritate*, Io. IV, 24.

§. VIII.

Finis precum est, vt nobis et aliis diuinum auxilium impetremus, cum Deo magis magisque coalescamus, bonis et dotibus eius impleamur, Deus autem in his omnibus laudetur ac celebretur, Matth. VII, 7. 8. Iac. IV, 8. Luc. XI, 13. Psalm. LXXXI, 11. Io. XIV, 13. 14.

Quisnam finis precum?

§. IX.

Officium fidelium est, (1) semper orare nec defatigari, Luc. XVIII, 1. Rom. XII, 12. 1 Theff. V, 17. (2) cum aliis fidelibus in precibus se se coniungere, Matth. XIII, 19. 20. (3) modum et tempus exaudiendi

Quodnam officium fidelium secundum hanc doctrinam?

diendi sapientiæ Dei et sancto ipsius arbitrio permittere, Iudith. VIII, 10. 11. et (4) impetratis iis, quæ petiuere, Deo gratias agere ipsumque concelebrare, Pf. L, 15. 1 Theff. V, 18. Pf. XXXIV, tot.

§. X.

Quodnam
hinc fi-
delium
solatium?

Solatium fidelium est, (1) quod Deus eorum preces exaudiat, immo longe copiosius facere omnia possit, quam ipsi quidem poscant aut cogitent, 1 Io. III, 22. V, 14. 15. Eph. III, 20. (2) quod ipse Christus ad dextram Dei pro ipsis supplicet, Rom. VIII, 34. 1 Io. II, 1. et Spiritus sanctus sic, vt Deus postulat, pro eis oret, Rom. VIII, 26. 27. (3) quod etiam ex precibus et supplicatione omnium sanctorum Deoque dilectorum hominum fructus ad ipsos redeat, Matth. VI, 9. (4) quod tandem omnes preces in sempiternas Dei laudes conuertendæ sint, Apoc. V, 13. VII, 12. 15.

ARTICVLVS VICESIMVS

De
ECCLESIA.

§. I.

Denique spectandi etiam sunt *gratia participes*, qui simul sumti *ne ecclesie* appellari solent.

Quidnam in hac tractatione de statu gratiæ ultimo loco spectandum

§. II.

Per *ecclesiam* autem non intelliguntur alii, quam qui per cælestem vocacionem ex regno Satanæ, siue peccati, liberati et per veram pœnitentiam ac fidem ad communionem Christi et sanctificationem spiritus perducti sunt, Col. I, 12-14. 1 Cor. VI, 11. 1 Pet. II, 9.

Quinam sunt ecclesia?

§. III.

Quicumque ergo non vere conuertuntur ad Deum, Christoque per fidem efficiuntur obedientes, non sunt *proprie ecclesia, aut sincera ac viuia eius membra*, etiam si nomen ei dederint, verbum Dei audiant, et sacramentis externe Rom. II, 28. 29. VIII, 9. IX, 6. 7. 8. 1 Cor. X, 1-6. Hebr. IV, 2.

Quid autem de impiis, qui ecclesie itidem nomen dant, statuendum?

§. IV.

Ex diuersa conditione eorum, qui *ecclesie membra* se esse profitentur, *oriunda* solet?

Ecclesia quomodo distingui solet?

da est *distinctio ecclesie in visibilem et invisibilem*. Per *ecclesiam visibilem* intelligitur uniuersus cœtus illorum, qui doctrinam Christi externe profitentur, et quæ adeo bonos et malos complectitur, 2 Tim. II, 19. 20. Matth. XIII, 26. 47. 48. *Inuisibilis* est, supra §. II. descripta, de qua sola intelligendæ sunt omnes promissiones, quæ ecclesie Dei datæ sunt, Matth. XVI, 18. Psalm. XLVI, 2 - 6. et cui proprietates, in articulo tertio symboli apostolici ecclesie assignatæ, quod nimirum sit *sancta et catholica ecclesia*, proprie competunt, et quæ respectu huius vitæ *ecclesia militans*, respectu autem futuræ et gloriose vitæ *ecclesia triumphans* vocitatur.

§. V.

Quenam
notæ eccle-
siaz?

Notæ ecclesie sunt pura verbi diuini prædicatio et legitima sacramentorum administratio; quod vera non ita intelligendum est, ac si omnes ac singuli, qui verbum Dei audiunt et sacramentis vtuntur, pro sinceris ecclesie membris habendi sint, sed quod, si cubi verbum Dei pure docetur et sacramenta secundum ordinem, a Christo præscriptum, administrantur, ex eo animaduerti possit, esse ibi vi promissionis diuinæ ecclesiam, filios Dei habentem

bentem et generantem, Ies. LV, 10. 11. Matth. XXIIIX, 20.

§. VI.

Note vniuscuiusque sinceri membri ecclesie speciatim sunt, (1) Abscessio ab iniustitia, 2 Tim. II, 19. (2) Obedientia erga precepta Dei, Io. VIII, 31. 47. inprimis (3) Abnegatio sui ipsius et mundi, Luc. IX, 23. XIV, 26. 27. 33. (4) Imitatio Christi, (5) Mutua caritas, Io. XIII, 34. 35. et (6) Crux, siue odium mundi, Io. XV, 18. 19. 1 Io. III, 1. vid. etiam Matth. V, 1. seqq.

Quanam sunt nota vniuscuiusque membri sinceri ecclesie speciatim?

§. VII.

Quum ecclesia sit corpus Christi, ideo membra eius spirituales habent communionem cum ipso Christo, et mutuam inter se, 1 Io. I, 5.

Num membra ecclesie certam inter se communionem habent?

§. VIII.

Communio cum Christo in eo sita est, quod fide cum ipso vniti sunt, ab eoque tamquam capite suo vnctionem Spiritus sancti huiusque varia dona indispiscuntur, 1 Io. II, 20. 27. Eph. I, 23. IV, 8.

Communio cum Christo qua in re sita est?

§. IX.

Communio autem membrorum ecclesie mutua, siue *communio sanctorum*, in hoc consistit, quod tamquam vnius corporis membra fraternae caritatis vinculo ita in Christo inter se nexi sunt et copulati, vt omnia

Communio eorum mutua qua in re sita est?

omnia spiritualia et cælestia dona ac bona nec non gaudia et afflictiones communes inter se habeant, Eph. IV, 4. 5. 6. 1 Cor. XII, 26. alii etiam cum aliis et pro aliis preces fundant, Matth. XVII, 20. Eph. VI, 18.

§. X.

Quodnam officium verorum ecclesie membrorum?

Officium verorum ecclesie membrorum est, (1) Christo, tamquam capiti ecclesie suæ, sincera et constanti fide adhærere, Eph. IV, 15. Col. II, 19. (2) unitatem spiritus cum omnibus membris suis studiose tueri, Eph. IV, 3. Phil. II, 2. et (3) spiritualibus et temporalibus dotibus illos iuuare, Eph. IV, 16. 1 Pet. IV, 10.

§. XI.

Solatum eorum quodnam?

Solatum eorum est, (1) quod Deus unus præ reliquis hominibus vniuersis ipsos amet et populum ac peculium suum agnoscat, 2 Tim. II, 19. 20. 1 Pet. II, 9. Tit. II, 14. Eph. V, 26-30. (2) quod omnes eorum hostes, a quibus in hoc mundo premuntur et diuexantur, iudicet et deleat, 2 Theff. I, 8. 9. (3) ipsos autem in gloria et pulchritudine sua patefacere, et ad perfectam vniõnem et communionem tum sui tam ecclesie triumphantis perducere velit, Col. III, 4. Hebr. XII, 22. 23.

ARTICVLVS VICESIMVS
PRIMVS

De
MINISTERIO ECCLE-
SIASTICO.

§. I.

Ecclēsia secundum res ita dictos *status hierarchicos* considerari potest, quorum primus est *ministerium ecclesiasticum*.
Ecclesia quomodo considerari potest?

§. II.

Ministerium ecclesiasticum, si originem eius spectes, ordo diuinus est, institutus a Deo triuno, utpote qui fidos doctores vocat et ad ministerium idoneos reddit. Speciatim id tribuitur *Patri*, Matth. IX, 38. 2 Cor. III, 5. 6. *Christo*, 2 Cor. V, 18. 19. Eph. IV, 11. et *Spiritui sancto*, Act. XX, 28.
Ministerium ecclesiasticum ratione originis quid?

§. III.

Ad ministerium ecclesiasticum requiritur *diuina vocatio*, Rom. X, 15. Hebr. V, 4. 5. quæ fit vel *immediate* ab ipso Deo; Ies. VI, 8. 9. Ier. I, 5. Gal. I, 1. vel *mediate* per homines, 2 Tim. II, 2. Tit. I, 5. quam *vocationem* mediatam, ex diuino quidem
Ad ministerium ecclesiasticum quid requiritur?

dem præscripto factam, Deus non minus suam ipsius quam istam agnoscit, A&. XX, 28.

§. IV.

In eligendis et vocandis ministris ecclesiæ quid maxime spectandum?

In eligendis et vocandis ministris ecclesiæ non externa tantum habitas et dona administrantia, sed dona etiam sanctificantia spectanda, adeoque haud alii ministerio initiandi sunt, quam inculpati, et mysterium fidei in munda tenentes conscientia, Tit. I, 6. seqq. 1 Tim. III, 2-9. Qui ita comparati sunt, angeli Iehouæ exercituum sunt, Mal. II, 7. pro Christo fungentes legatione, 2 Cor. V, 20. Christi ministri et mysteriorum Dei dispensatores, 1 Cor. IV, 1. Dei adiutores, c. III, 9. cetera. Qui ita non sunt comparati, in sacris scripturis fures, Io. X, 10. latrones, com. 8. falsi vates, Matth. VII, 15. fallaces operarii, 2 Cor. X, 13. cæci duces, Matth. XV, 14. et aliis huiusmodi nominibus appellantur.

§. V.

Quinam finis ministerii ecclesiastici?

Finis ministerii ecclesiastici ex diuina institutione est, vt homines ad communionem Christi perducantur, in illa conseruentur, et vitæ æternæ participes reddantur, A&. XXVI, 17. 18. 2 Cor. IV, 6. 1 Tim. IV, 16.

§. VI.

§. VI.

Fidelitas, a doctoribus et ministris ecclesie requisita, (1 Cor. IV, 2.) consistit in officiis, quæ sunt, (1) commissas sibi animas verbo vitæ pascere, Act. XX, 27. Io. XXI, 15. 16. 17. 1 Pet. V, 2. (2) peccata sine personarum respectu arguere, Io. XVI, 8. Ies. LVIII, 1. 2 Tim. II, 24. 25. IV, 2. (3) bono exemplo aliis præire, 1 Tim. IV, 12. Tit. II, 7. 8. (4) domos suas bene administrare, 1 Tim. III, 4. 5. Tit. I, 6. (5) pro vniuerso cœtu sedulo orare, 1 Sam. XII, 23. et (6) omnes calamitates, quæ ipsis vsu veniunt, patienter ferre, Io. X, 12. Act. XX, 24. 2 Tim. I, 8. et cap. II, 3. 9. 12.

Fidelitas a doctoribus et ministris ecclesie requisita quam in re consistit?

§. VII.

Commune omnium Christianorum officium est, (1) Deum inuocare, vt operarios emittat in messem suam, Matth. IX, 36. 38. (2) fidei doctoribus obsequi moremque gerere, 1 Thess. II, 13. Hebr. XIII, 17. (3) priuata aliorum ædificatione munus eis suum leuare, 1 Pet. II, 9. Rom. XV, 14. Eph. V, 19. Hebr. X, 24. (4) pro eis eorumque ministerio assiduas preces

Quodnam commune omnium Christianorum officium secundum hanc doctrinam?

H

facere,

114 Part. II. Artic. XXI. de ministr. eccles.

facere, Hebr. XIII, 18. Eph. VI, 19. et (5) necessaria vitæ subsidia eis subministrare, Matth. X, 10. 1 Cor. IX, 4. 14. 1 Tim. V, 17. 18.

§. VIII.

Quodnam *Solatium* fidelium doctorum et ministrorum ecclesiae est, (1) quod Christus doctorum laborem eorum non infructuosum esse velit, Ies. LV, 10. 11. Matth. XXVIII, 20. (2) quod illi, quos ministerio suo ad Christum perduxerint, et in hac et futura vita lætitia eorum et corona sint, 1 Theff. II, 19. 20. et quod (3) cursum muneris sui emensi, fructum fidelitatis et laboris sui æternum percepturi sint, Matth.

XXV, 21. 1 Pet. V, 4.

Dan. XII, 3.

ARTICVLVS VICESIMVS
SECVNDVS

De
MAGISTRATV POLI-
TICO.

§. I.

Secundus status hierarchicus est *magistratus politicus*. Quinam secundus status hierarchicus?

§. II.

Magistratus politicus, si *originem* eius spectes, a Deo est, utpote qui eum instituit, et a quo proficisci oportet, ut quis ad eum digne gerendum idoneus sit. Magistratus politicus unde est? Rom. XIII, 1. seqq. Prou. VIII, 14-16. Sirac. X, 4-5.

§. III.

Ad digne fungendum munere magistratus haud sunt idonei, nisi *viri strenui, Dei amantes, veraces, auaricia inimici, iustitiae studiosi, ac spiritu veritatis et intelligentiae diuinitus praediti*, Exod. XIX, 21. Quinam ad digne fungendum munere magistratus idonei sunt? 2 Paral. XIX, 6. 7. Sap. I, 1. IX, 1. seqq.

§. IV.

Potestas magistratus in eo consistit, quod illi, quibus ea diuinitus concredita est, subiectos sibi regendi et ius iustitiamque ad conseruandam et promouendam tuendamque Potestas magistratus in quonam consistit?

damque quietem publicam administrandi auctoritatem et potentiam habent. Itaque ad res externas, civiles et temporarias potissimum attinet, non vero ad hominem internum siue conscientiam, Act. IV, 19. Verumtamen magistratus christianus non tantum ius habet acceptam a Deo potestatem eo adhibendi, ut in ecclesia omnia ad verbi Dei præscriptum et civium ædificationem instituantur, sed religione etiam officii ad hoc ipsum tenetur, Deut. XVII, 17. 18. Ios. I, 7. 8.

§. V.

Finis muneris magistratus quis?

Finis muneris magistratus est divina gloria et subiectorum externa et spiritualis salus, 1 Tim. II, 2. Rom. XIII, 4. 1 Pet. II, 13, 14.

§. VI.

Quodnam officium magistratus?

Christianum officium eorum, qui magistratum gerunt, est, (1) iustitiam sine personarum discrimine diligenter administrare, Exod. XXIII, 6. seqq. Prou. XXIV, 23. 24. Ios. I, 17. (2) Haud aliam obedientiam ab illis, qui ipsorum imperio parent, postulare, nisi quam saluo amore Dei et proximi præstare possunt. Vid. contrarium 1 Sam. XXII, 17. Dan. II. III. et IV. et (3) pro iis, quibus præsent, nec non pro felici regiminis sui successu ardentes ad Deum preces fundere, 1 Reg. III, 7-9. Sap. IX, 1. seqq.

§. VII.

§. VII.

Officium eorum, qui in ditione ac potestate sunt alterius, est, (1) imaginem Dei in magistratu, quouis modo, homines quidem christianos decenti, venerari, 1 Pet. II, 17. (2) propter conscientiam in omnibus rebus, cum obedientia Deo debita haud pugnantibus, illi obedire, com. 13. Rom. XIII, 1-5. Act. IV, 19. V, 29. (3) libenti animo ea contribuere, quæ ad curandam et tuendam publicam salutem requiruntur, Rom. XIII, 6. 7. Matth. XXII, 21. et (4) vniuersum magistratus regimen ferriis precibus Deo. O. M. fortunandum commendare, 1 Tim. II, 1. 2. Ier. XXIX, 7.

Quodnam officium subiectorum aliis?

§. VIII.

Solacium eorum, qui magistratu funguntur, est, (1) quod ex accepta potestate præ aliis multa ad utilitatem et salutem hominum possint efficere. Vid. historia *Mosis, Samuelis, Davidis, Salomonis, Hiskia*, ceterorum. (2) quod voluntatem Dei in munere suo fideliter exsequuti, cum Christo æternum regnaturi sint, Apoc. XXI, 24.

Quodnam solacium magistratus?

ARTICVLVS VICESIMVS
TERTIVSDe
STATV OECONO-
MICO.

§. I.

Tertius
status hier-
archicus
quis?**T**ertius status hierarchicus in ecclesia
Christiana est status economicus.

§. II.

Ad statum
economicum
cum qui-
nam spe-
ctant?Ad hunc statum spectant, (1) *Coniuges*, (2) *Parentes et liberi* et (3) *Heri et famulitium*.

§. III.

Auctor
coniugii
quis?*Auctor coniugii* ipse Deus est, quippe qui non solum primo homini Euam adiutricem adiunxit, sed hunc ordinem benedictione etiam sua adhuc conseruat, Gen. 1, 27. 28. II, 18.

§. IV.

Coniugium
quam
nam in re
consistit?*Coniugium* consistit in coniunctione duarum personarum, per naturam et diuinam ordinationem huic statui aptarum, vt in arctissima et indissolubili consociatione ad vitæ usque finem viuant, et erga se mutuo ita se gerant, quemadmodum finis coniugii postulat, Matth. V, 32. XIX, 5. 6. 9. I Cor. VII, 27.

§. V.

§. V.

Finis conjugii est, (1) humani generis ^{Quis} conseruatio et propagatio, Gen. I, 28. ^{finis illius?} Tob. VIII, 9. (2) mutuum adiutorium, Gen. II, 18. et (3) omnis impuritatis, cum christiana modestia et castitate pugnantis, deuitatio, 1 Cor. VII, 2. 9.

§. VI.

Officium christianorum conjugum est, ^{Quodnam} (1) cum studio christianæ abnegationis et officium sanctimonix vitam conjugalem vna viuere, ^{coniu-} ^{gum?} Tob. VIII, 4. 5. 6. 1 Cor. VII, 29. Luc. XIV, 20. 1 Theff. IV, 3-5. (2) datam fidem ad mortem vsque integram seruare inuicem, 1 Cor. VII, 10. 11. Hebr. XIII, 4. et (3) tam læta quam tristia habere inter se communia, sibi que mutuum auxilium præstare. Specialia maritorum et vxorum officia vid. in *tabula* sic dicta *œconomica*, 1 Cor. VII, 3. 4. 5. 12. 13. 15. Col. III, 18. 19. Eph. V, 22. 23. 1 Pet. III, 1-7.

§. VII.

Solatium piorum conjugum est, (1) quod ^{Quodnam} hic ordo diuinus et sanctus ordo, immo solatium? commonefactio et symbolum sit spiritua-
lis connubii inter Christum et ecclesiam, Gen. II, 18. 22. Eph. V, 22-32. (2) quod eis hoc ipso calamitates et ærumnæ huius sæculi leniantur et reddantur dulces, Gen. XXIV, 67. Prou. XXXI, 10. 11. Sir. XXVI,

1-4. 16. (3) quod terrestri coniugio religiose perfundi, ad cœnam nuptiarum Agni illius peruenturi et in sempiterno amore ac coniunctione cum Christo victuri sint, 1 Thesi. IV, 16. 17. Apoc. XIX, 6-9. XXI, 2. 3. 4. 7.

§. VIII.

Ordo inter parentes et a Deo est, quippe qui coniugibus dat liberos, Pf. CXXVII, 3. animis eorum singularem amorem et mutuam propensionem indit, Psalm. CIII, 13. Ies. XLIX, 15. Luc. XI, 11. 12. 13. et tum illos tum hosce ad certa officia obstrinxit.

§. IX.

Quenam sunt officia parentum erga liberos? *Officia parentum erga liberos sunt, (1) illos educare, Eph. VI, 4. (2) ad cognitionem Dei et imitationem seruatoris sui ex verbo diuino sollicitè instruere, 1. c. Gen. XVIII, 19. Deut. VI, 6. 7. 2 Tim. III, 18. eaque in re bonum illis exemplum præbere, (3) ob peccata et malitiam ad emendationem eorum eos castigare, Hebr. XII, 7. 9. 10. Sirac. VII, 25. et (4) fadulo atque ardentè pro illis orare, Gen. XVII, 18. 1 Sam. I, 28. Iob. I, 5.*

§. X.

§. X.

Officia liberorum sunt, (1) parentes suos honorare, Exod. XX, 12. Tob. IV, 3-5. Sirac. III, 3. 8. 9. 11. 13. 14. (2) in omnibus, quæ Deo non aduersantur, illis obedire, Eph. VI, 1. 2. Matth. X, 37. XIV, 8. (3) gratos sese illis præbere, Sirac. III, 13. 15. 1 Tim. V, 4. 8. et (4) pro salute eorum ardentibus precibus facere.

§. XI.

Solacium christianorum et piorum parentum est, (1) quod ipsorum amor in liberos symbolum sit et adumbratio infinite maioris amoris, quo cælestis Pater liberos suos complectitur, Psalm. CIII, 13. Ies. XLIX, 15. 16. Luc. XI, 11. 13. (2) quod bona liberorum educatio sit res summe necessaria et ardua, vnde ad innumeros omnium ordinum homines maxima utilitas redundare possit, et (3) quod probi et bene morati liberi ipsis lætitiæ, solatio et oblectationi sint, non in hoc tantum sed in futuro etiam sæculo.

§. XII.

Solacium piorum ac morigerorum liberorum est, (1) quod cælestis Pater et Christus seruator noster, nec minus sancti angeli liberorum?

geli pios liberos ardentissime ament, Tob. V. VI. X. et XII. Matth. XVIII, 10. (2) quod, dum parentibus suis obediant, Christo seruatori suo conformes fiant, Luc. II, 51. et (3) quod ipsis bene futurum sit cum in hoc tempore tum in ventura æternitate, Eph. VI, 3. Sirac. III, 6. seqq.

§. XIII.

Quinam ordo præterea ad statum æconomicum spectat?

Denique huc spectant *heri et famulitium*, ad quos certo modo attinent, quæ supra de magistratu illiusque imperio subiectis diximus.

§. XIV.

Quænam officia herorum?

Officia herorum in specie sunt, (1) famulos paterno amore prosequi, Sirac. XXXIII, 31. Luc. VII, 2. 3. et (2) ex amore isto pro animabus eorum vigilare, Gen. XIIX, 19. Deut. VI, 7. (3) debitam illis mercedem dare, Iac. V, 4. et (4) omni mansuetudine in eos uti, Eph. VI, 9.

§. XV.

Quænam officia seruorum?

Officia seruorum sunt, (1) heros suos omni honore dignos existimare, 1 Tim. VI, 1. 2. (2) in omnibus rebus, quibus Deus non offenditur, eis tamquam ipsi Christo parere, Tit. II, 9. 10. Eph. VI, 5-7. Col. III, 22. 23. et (3) omnem fidem
et

et patientiam in eos exercere, Tit. II, 10
1 Pet. II, 18.

§. XVI.

Solatum piorum herorum est, quod Quodnam
Deus, dominus dominantium, cuius ser- solatum
vi et ipsi sunt, vicissim erga ipsos se ita piorum
gesturus sit, quemadmodum erga famu- herorum?
litium suum sese gesserint.

§. XVII.

Solatum piorum seruorum est, (1) quod Quodnam
Christus, quidquid boni fecerint, suscipiat solatum
tamquam sibi præstitum, Col. III, 22 - 24. piorum
Eph. VI, 7. et (2) quod pro eo hæredita- seruorum?
tem præmio accepturi sint a Domino,
Col. III, 24. Eph. VI, 8.

ARTICVLVS VICESIMVS
QVARTVSDe
MORTE.

§. I.

Quinam
quartus
status, se-
cundum
quem ho-
mo confi-
derandus?

Quartus status, secundum quem ho-
mo considerandus est, est status
futura gloria, in quem fideles per
mortem temporalem transferuntur, de qua
proinde paucis agendum est.

§. II.

De causa
mortis
corporalis
quid no-
tandum?

Ad causam mortis corporalis quod at-
tinet, Deus eam non fecit, Sap. I, 13, 14-
II, 23. Diabolus autem est homicida ab ini-
tio, eiusque inuidia mors in mundum in-
trauit, c. II, 24. quippe qui primos paren-
tes et nos in illis in peccatum, cui mortem
Deus conminatus erat, præcipitavit, Gen-
III, 1-19. Rom. V, 12. VI, 23. Interim Deus
opus suum in ea habet: siquidem tam-
quam iustus iudex sententiam mortis de
homine primus pronuntiauit, eamque in
impiis ad peccatorum suorum pœnam ex-
sequitur, Rom. VI, 23. fidelibus autem
in magnum beneficium conuertit. Vid.
infra §. VII.

§. III.

§. III.

Obnoxii morti, sunt omnes homines sine Quinam
 ullo discrimine, quippe qui in Adamo morti
 omnes peccauerunt, Sirac. XL, 2. 3. 4. obnoxii?
 Rom. V, 12. 1 Cor. XV, 21. 22. Certo mo-
 do excipiuntur, qui sub adventum Chri-
 sti mutabuntur, 1 Cor. XV, 51. 52. et qui
 in huius rei typum ex hoc mundo viui
 translati sunt, vti *Henochus* et *Elias*, Gen.
 V, 24. Hebr. XI, 5. 2 Reg. II, 2.

§. IV.

Mors ipsa consistit in priuatione vitæ Mors qua-
 naturalis, quæ ex dissolutione animæ etnam in re
 corporis oritur; quam statim excipit cor- consistit?
 ruptio corporis, Gen. III, 19. *Anima* au-
 tem *immortalis* est, Cohel. XII, 7. veni-
 que ad Deum et Christum in paradysum
 et requiem, si fidelis sit, Sap. III, 1. Phil.
 I, 23. 2 Cor. V, 8. Luc. XXIII, 43. Apoc.
 XIV, 13. si infidelis, in orcum et ad
 tormenta rapitur, Luc. XVI, 23.

§. V.

Media, quibus ista dissolutio efficitur, Quibus
 non sunt vnus eiusdemque generis; Alii mediis
senio, *morbis alii confecti*, moriuntur; dissolutio
alii abripiuntur *morte violenta*; vbi non- efficitur?
 nunquam diuinum iudicium intercedit,
 2 Sam. XVIII, 14. 1 Reg. XXI, 19 - 23. A&
 XII, 23. *Multi mortem sibi ipsi accelerant*,
 non tantum *crassa autoxerzia*, 2 Sam.
 XXXI,

XXXI, 4. 5. Matth. XXVII, 5. sed ebriofitate etiam et intemperantia, Sirac. XXXI, 30. XXXVII, 33. 34. audacia et temeritate, c. III, 27-29. tristitia huius sæculi, 2 Cor. VII, 10. aliisque modis pluribus.

§. VI.

Quodnam officium nostrum secundum hanc doctrinam?

Officium nostrum est, (1) ex morte corporali deformitatem peccati et iustitiam diuinam cognoscere et reformidare, Pf. XC, 7. 11. (2) mortalitatem nostram diligenter nobis apud animum proponere, Pf. XXXIX, 5. 6. XC, 12. (3) vera pœnitentia et quotidiana renouatione ad obitum nos præparare, Io. VIII, 24. et (4) hoc instante animam nostram Christo commendare, certa que sub spe futuræ resurrectionis obdormiscere, Luc. XVIII, 46. Act. VII, 58. 59. Hebr. XI, 13. 14.

§. VII.

Quodnam fidelibus hinc solatium?

Solatium fidelium filiorum Dei est, (1) quod Christus morte sua mortem aboleuerit 2 Tim. I, 10. (2) quod mors ipsis non sit proprie pœna peccatorum, sed sanis omnium calamitatum, et vitæ æternæ ianua, Io. VIII, 51. 2 Cor. V, 4. Phil. I, 23. et (3) quod corpora ipsorum resuscitentur, glorificentur eoque transferantur, vbi non amplius ad afflictio, neque quiritatus, neque dolor, neque mors erit, Iob. XIX, 25. 26. 1 Cor. XV, 26. 43. 44-55. Phil. III, 21. Apoc. XXI, 4.

ARTI-

ARTICVLVS VICESIMVS
QVINTVS

De

RESVRRECTIONE
MORTVORVM.

§. I.

Mortem sequitur *resurrectio mortuorum.* Mortem quid sequitur?

§. II.

Qui mortuos resuscitat, Deus triunus est, qui hac re omnipotentiam suam declarabit, Deut. XXXII, 39. 1 Cor. VI, 14. speciatim Pater, 1 Thess. IV, 14. Christus Iesus, Io. V, 25. 28. 29. VI, 39. 40. 44. 54. et Spiritus sanctus, Rom. VIII, 11. Vid. Ezech. XXXVII, 9. seqq. Quis ille, qui mortuos resuscitat?

§. III.

Resurrectio mortuorum vniuersalis est, ita vt omnes ac singuli homines, iusti ac iniusti, illi ad vitam, hi ad supplicium aeternum, eius participes reddantur, Dan. XII, 2. Io. V, 25. 28. 29. Act. XXIV, 15. Quos autem aduentus Domini viuos prehenderit, illi transmutabuntur, 1 Cor. XV, 51. 52. Num vero omnes homines resurgent?

§. IV.

§. IV.

Natura et
modus re-
surrectio-
nis qua-
nam in re
consistit?

Natura et modus resurrectionis mortuo-
rum in eo consistit, quod *idem corpus*,
quod quis in hoc mundo gesserit, et in
quo bona aut mala fecerit, resuscitabi-
tur et cum anima denuo coniungetur,
Iob. XIX, 25 - 27. 1 Cor. XV, 53. 54. Phil.
III, 21. sed tamen corpus non amplius na-
turales suas, sed spirituales habebit pro-
prietates, 1 Cor. XV, 42 - 44. vna cum
quibus corpora piorum simul caelesti glo-
ria induentur et ornabuntur, Matth. XIII,
43. Phil. III, 21. sicut e contrario in im-
piorum corporibus meræ atque horrendæ
tenebræ et formæ ac characteres satanici
conspicientur. Vid. Apoc. XXII, 15.

§. V.

Quis illius
finis?

Finis resurrectionis mortuorum *ex parte*
Dei est gloria et manifestatio omnipo-
tentia, misericordiae et iustitiae ipsius, Ies.
XXVI, 19. *ex parte autem hominum*, vt
ferat quisque præmium eius, quod in
corpore fecit vel boni vel mali, Io. V,
28. 29. 2 Cor. V, 10. Apoc. XX, 12.

§. VI.

Num au-
tem fieri
potest, vt
mortui re-
surgant?

Fieri posse, vt resurgant mortui, ratio
corrupta ex se ipsa cognoscere nequit,
Sap. II, 1 - 5. 1 Cor. XV, 12. 29. 32. Matth.
XXII, 23. Ad. XVII, 18. 32. fundatur autem
hoc omnipotentia Dei eiusque promissis.

Variis

Variis etiam modis in natura adumbratur.
Vid. Io. XI. XII, 24. 1 Cor. XV, 35 - 38.

§. VII.

Officium nostrum est, (1) corpus nostrum: Quodnam officium
quod Deus aliquando resuscitaturus est, officium
non peccato et impuritati, sed Domino secundum
mancipare, 1 Cor. VI, 13. 14. 15. (2) non hanc do-
recusare variis illud calamitatibus et per- ctrinam?
pessionibus subiicere, Iob. XIX, 25. 26.
2 Maccab. VII, 9. 11. 14. 36. et (3) sub spe
gloriosæ resurrectionis ex mortuis mor-
tem libenti animo subire, 1 Thess. IV. 13. 14.

§. VIII.

Solacium fidelium in eo consistit, Quid solaci-
(1) quod in resurrectione, quidquid na- tii fideles
turale, mortale et corruptibile est, pe- ex ea ha-
nitus deposituri, contra ea (2) incorrupti- bent?
bilitatem, immortalitatem et gloriam
consequuturi sint, 1 Cor. XV, 49.
2 Tim. I, 10.

ARTICVLVS VICESIMVS
SEXTVS

De

EXTREMO IVDICIO
ET CONSVMMATIO-
NE SAECVLI.

§. I.

Quid præ-
terea sta-
tum futu-
ra gloria
antecedit?
TAmquam pars eorum, quæ sta-
tum futurae gloriae antecedunt, spe-
ctandum quoque est *extremum iu-
dicium et consummatio saeculi.*

§. II.

Extremum
iudicium
quis actu-
rus?
Extremum iudicium *acturus*, ipse *Deus*
triunus est, speciatim vero *Christus Iesus*,
quippe qui tamquam iudex viuorum et
mortuorum cum omnibus sanctis angelis
et multis sanctorum millibus ad hoc de
caelo venturus, et sine personarum respec-
tu illud habiturus est, Act. X, 42. XVII,
31. Matth. XXV, 31. Ep. Iud. com. 14. 15.
Apoc. VI, 15-17.

§. III.

Quinam
vero iudi-
candi?
Iudicandi, sunt (1) diabolus omnesque
angeli illius, Matth. XXV, 41. Ep. Iud.
com. 6. 2 Pet. II, 4. 1 Cor. VI, 3. (2) mun-
dus,

du, 1 Cor. VI, 2. siue omnes in vniuersum homines, 2 Cor. V, 10. viui ac mortui, 2 Tim. IV, 1. boni et mali, Rom. XIV, 10. 11. summates et humiles, Apoc. VI, 15. 17. parui iuxta ac magni, c. XX, 12. et quidem non tantum secundum externa opera et verba sua, 1 Cor. III, 13. Matth. XII, 36. Ep. Iud. com. 14. 15. verum etiam secundum occulta animorum consilia, Cohe. XII, 14. 1 Cor. IV, 5.

manhoy
mndio
mndion
mndion
ab oned
mndion

§. IV.

Regula, ad quam iudicium fiet, non est lex aliqua mundana, vel imaginatio, cuius ductu homines hoc illudue peccatum esse vel non esse statuerunt, sed propriae conscientiae testimonium, inprimis verbum Dei, Rom. II, 12. Io. XII, 48.

Ad quam regulam iudicium fiet?

§. V.

Finis extremi iudicii est *manifestatio diuina iustitiae* in plena retributione boni ac mali, 2 Cor. V, 10. Rom. II, 5 - 9. 2 Thess. I, 6. seqq.

Quis finis iudicii illius?

§. VI.

Consummatio sæculi in eo consistit, quod cali perniciter perituri, elementa ardentia dissoluenda, et tellus, et quæ in

Consummatio sæculi quam in re consistit?

in ea sunt res, conflagraturæ sunt, 2 Pet. III, 10. Signa et prodigia eius prænuntia leguntur, Matth. XXIV. Marc. XIII. et Luc. XXI.

§. VII.

Quodnam officium nostrum secundum hanc doctrinam? Officium nostrum est, veritatem futuro iudicio ad veram resipiscentiam, sanctos mores et pietates, speciatim ad vigilantiam et preces in nobis sinere esse efficacem, Act. XVII, 30. 31. 2 Pet. III, 11. 14. Luc. XXI, 34.

§. VIII.

Quid solatii hinc est fidelibus? Solatium fidelium liberorum Dei est, (1) quod non sint in iudicium venturi, Io. V, 24. sed salutem consequuturi, 1 Thess. V, 2. (2) angelos et mundum cum Christo iudicaturi, 1 Cor. VI, 3. et (3) novum cælum novamque terram possessuri, 2 Pet. III, 13.

ARTICVLVS VICESIMVS
SEPTIMVS

De

VITA AETERNA.

§. I.

Fideles quidem in hac vita beati sunt, Vtrum fi-
Io. V, 24. Eph. II, 5. 6. 8. Tit. III, deles iam
3-5. I Io. V, 11-13. quum autem in hac vita
beatitudo eorum adhuc multa imperfe- beati, an
ctione laboret, 2 Cor. V, 4. et lateat, vero post-
ea demum
Col. III, 3. I Io. III, 1. 2. ad consummatio- beandi?
nem eorum necesse est, vt per mortem
temporalem et resuscitationem ex mor-
tuis, in *statum plenariæ gloriæ ac beatita-
tis transferantur*, Rom. VIII, 18. 19.

§. II.

Hæc beatitudo, quæ alias vita æterna Quomodo
vocatur, *donum gratuitum* Dei triunus hæc beati-
est, Rom. VI, 23. Luc. XII, 32, quam specia- tudo spe-
tim Christus acquisiuit, Io. III, 13-15. XIV, ctanda?
2. 3. qui et fideles ad eam resuscitaturus
et in plenariam illius possessionem intro-
ducturus est, Io. VI, 40. 54. Matth. XXV,
21. 23. 24.

I 3

§. III.

§. III.

Quinam eius participes erunt? *Participes istius beatitudinis vitæque æternæ, erunt, qui in Christum credunt, Io. III, 16. fidemque suam dando operam sanctimoniam Christumque imitando demonstrarunt, Hebr. XII, 12. 14. 1 Io. III, 3. Io. XII, 26. 2 Tim. II, 10-12. in eaque ad finem usque vitæ persisterunt, Matth. X, 22. 2 Tim. IV, 7. 8. Apoc. II, 10. alieni a pœnitentia, increduli et omnes, qui ex arbitrio carnis viuunt, futura beatitudine excluduntur, et in ignem sempiternum amandantur, diabolo eiusque angelis paratum, Rom. II, 5. Io. III, 36. Gal. V, 19-21. VI, 8. Matth. XXV, 41. a quo nominis christiani et sacramentorum allegatio ista die tueri poterit neminem, Matth. VII, 21. Luc. XIII, 25-27.*

§. IV.

Quam in re vitæ æternæ gloria præcipue consistet? *Ipsa vitæ æternæ gloria præcipue consistet in beata visione Dei et Christi, 1 Cor. XIII, 12. Iob. XIX, 25-27. ex qua plenaria diuinæ imaginis restitutio, 1 Cor. XV, 49. 1 Io. III, 2. Phil. III, 21. sempiternum gaudium et laus Dei et Christi num-*

numquam defutura orietur, 1 Pet. I, 8. Pfalm. XVI, 11. XXXVI, 9. Apoc. IV, 8. II. V, 11-14.

§. V.

Quemadmodum in aeterna damnatione certi dantur gradus, Matth. VII, 2. VIII, 12. XI, 20-24. Luc. XII, 43, 48. ita in futura beatitate, omnibus quidem fidelibus per se communi, gloria et claritas pro diuersa operum et perfectionum mensura inaequalis erit, 1 Cor. III, 8. XV, 41. 42. 2 Cor. IX, 6.

An certa inaequalitas in ea futura est?

§. VI.

Officium nostrum est, (1) per veram resipiscentiam de via ampla, quae ducit ad interitum, in tempore recedere, et in arcta via, quae ducit ad vitam, constanter persistere, Matth. VII, 14. (2) a Deo illuminatos mentis oculos petere, ut sciamus, quam locuples gloriosaeque sit futura eius hereditas, destinata sanctis, Eph. I, 16-18. et (3) intuitu huius hereditatis mundo illiusque cupiditatibus valledicere, susceptaque Christi cruce san-

Quodnam officium nostrum secundum hanc doctrinam?

Simoniæ operam sedulo nauare, Hebr. XI, 26. XII, 12-14.

§. VII.

Quid solatii hinc redit ad fideles Dei liberos?

Solacium fidelium liberorum Dei est, (1) quod nullum in hoc mundo bonum perdere aut abnegare possint, pro quo non accepturi sint multo melius et gloriosius in futuro sæculo, Marc. X, 21. 29. 30. Hebr. X, 34. (2) quod non possit eis obtingere tam grauis afflictio, pro qua non sint in ista vita percepturi maximam oblectationem, Matth. V, 11. 12. Rom. IIX, 18. 2 Cor. IV, 17. Apoc. VII, 14 - 17. et (3) quod futuræ vitæ gloria sine fine, et fastidio fruituri sint, 2 Cor. IV, 17. 1 Pet. I, 4.



ORDO

ORDO
SALVTIS,

PER QVAESTIONES
ET RESPONSIONES

IN GRATIAM RVDIORVM
PROPOSITVS

ET

DICTIS

SCRIPTVRAE SACRAE
CONFIRMATVS.



Quæst. I.

Quis is est, qui cælum, terram, mare
et omnia, quæ in illis sunt, creavit
et adhuc conseruat?

Resp. Deus triunus, Pater, Filius et Spi-
ritus sanctus. (a)

(a) Gen. I, 1. 2. 3. Ps. XXXIII, 6.

Quæst. II. An igitur hic ipse Deus triunus
speciatim etiam hominem condidit?

Resp. Ita est, formauit hominem ex ter-
ræ puluere, et in nares eius spiritum
vitalem inspirauit. (b)

(b) Gen. II, 7.

Quæst. III. Quid homo ex hac prima crea-
tione sui fuit?

Resp. Præclara imago Dei, creatoris sui. (c)

(c) Gen. I, 26. 27.

Quæst. IV. Cur homo ex prima creatione
sui vocatur imago Dei?

Resp. Quia sine peccato et miseria, con-
tra vero sanctus, iustus, et beatus
fuit. (d)

(d) Gen. I, 31. Cohel. VII, 30. Eph. IV, 24.

Quæst. V. Num vero homo in isto bono ac
felici statu, in quo imago Dei fuit, perstitit?

Resp.

Resp. Non perstitit, sed, quoniam fraude Satanæ Deo factus est inobediens ab eoque defecit, beatitate ista excidit, (e) et se suosque posteros vniuersos, in summam præcipitauit infelicitatem. (f)

(e) Gen. III, 1. seq. Ies. LIX, 2.

(f) Gen. II, 17. Rom. V, 12.

Quæst. VI. *In quo sita est ista hominis lapsus infelicitas?*

Resp. In ea sita est, quod ad omne bonum ineprus ac emortuus (g), ad malum autem idoneus ac procliuus, (h) et hinc filius iræ ac mortis est (i).

(g) Rom. III, 10. 12. Eph. IV, 18. (h) Ps.

LI, 7. Io. III, 6. Gen. VIII, 21. (i) Rom.

V, 18. Eph. II, 3.

Quæst. VII. *Num autem Deus hominem in hac infelicitate permanere et perire voluit?*

Resp. Minime, Deo non placuit peccatorem mori, sed a peccato liberari æternumque seruari. (k).

(k) Ezech. XXXIII, 11. 1 Tim. II, 4.

2 Pet. III, 9.

Quæst. VIII. *Quanam re Deus hanc iudicis seu voluntatis sue arbitrium homini lapsu declarauit?*

Resp. Hac ipsa re, quod ei filium suum vnigenitum redemptorem ac saluatorem se missurum promisit, (l)

(l) Gen. III, 15. XXII, 18.

Quæst.

Quæst. IX. *An Deus huic promisso stetit?*

Resp. Stetit omnino, postquam enim plenum tempus aduenit, misit Deus filium suum in carnem nostram (m), qui de Spiritu sancto conceptus (n) et ex Maria virgine natus fuit. (o)

(m) Gal. IV, 4. (n) Luc. I, 35. (o) Ies. VII, 14. Matth. I, 18 - 23.

Quæst. X. *Quo nomine is vocatur, quem Deus hoc modo redemptorem et seruato-rem misit?*

Resp. Iesus Christus. (p)

(p) Matth. I, 21. Io. I, 41. 45. Luc. IV, 18.

Quæst. XI. *Quis est ille Iesus Christus, si personam eius spectes?*

Resp. Verus Deus et homo. (q)

(q) Io. I, 2. 3. 14. Rom. I, 3. 4. IX, 5. 1 Tim. III, 16.

Quæst. XII. *Quid vero ille egit, ut nos homines a peccato et morte liberaret salutisque participes redderet?*

Resp. Peccatorum nostrorum debitum in se recepit et tulit (r), illudque suo ipsius sanguine ac morte soluit in ligno crucis. (s)

(r) Ies. LIII, 4. 5. Io. I, 29. 2 Cor. V, 21.

(s) Psalm. LXIX, 6. Matth. XX, 28. Gal. III, 13. 1 Tim. II, 6. 1 Pet. II, 24.

Quæst. XIII. *Num Christus inter mortuos permanfit?*

Resp.

Resp. Non permanfit, fed furrexit de mortuis (l) adfcendit in calos, et confedit ad dextram Dei (u), ad fupplicandum pro nobis, (x) et donandum nobis Spiritum fanctum, (y) de calo etiam redibit ad iudicandum viuos ac mortuos (z).

(t) 1 Cor. XV, 3. 4. (u) Marc. XVI, 19.

(x) Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25. 1 Io. II,

1 (y) Act. II, 33. Io. XV, 26. 27. XVI, 7.

(z) Act. I, 11. X, 42. 2 Theff. I, 6. feqq.

Quæft. XIV. *Quid vero Chriftus fanguinem fuum fundendo, moriendo et de mortuis refurgendo nobis peperit et acquifuit?*

Resp. Deo no hoc ipfo reconciliauit (aa), æternam iuftitiam, (bb) et Spiritum fanctum acquifuit (cc), nec non ius ac libertatem Deo, tamquam fummo bono, æternum et fine intermilfu fruendi, (dd)

(aa) 2 Cor. V, 19. (bb) Dan. IX, 24.

Rom. III, 25. 26. 2 Cor. V, 21. (cc) Gal.

III, 13. 14. (dd) Rom. V, 1. 2. II. Hebr.

VIII, 10. 15.

Quæft. XV. *Vnde hæc omnia difcimus?*

Resp. Ex doctrina euangelii (ee), quo nos Deus ad communionem fuam et ad omnium honorum, a Chrifto nobis partorum, fruitionem ferio vocat et inuitat. (ff)

(ee) Rom.

(ee) Rom. I, 16. 17. 2 Tim. I, 10.

(ff) 1 Cor. I, 9. 1 Io. I, 1. 2. 3.

Quaest. XVI. *Ad quem vero ordinem nos Deus remittit, quo ad communionem ipsius et istorum bonorum possessionem pertingamus?*

Resp. Ut vitiosam miseriam et labem nostram resipiscente animo cognoscamus, et Iesum Christum, tamquam redemptorem nostrum et saluatorem, fide suscipiamus (gg).

(gg) Luc. XXIV, 4. 47. 1 Io. I, 9. 10. Gal. III, 26. 27.

Quaest. XVII. *Quid hoc ipso consequimur, si dicto modo ad diuinum ordinem nos accomodemus?*

Resp. Gratiam et adoptionem Dei (hh), iustitiam Christi (ii) et propter eum veniam peccatorum (kk), Spiritum sanctum (ll), et vitam sempiternam. (mm).
(hh) Eph. I, 5. 6. Io. I, 11. 12. (ii) Rom. III, 24, 25. Phil. III, 8. 9. (kk) Eph. I, 7. 1 Io. I, 9. (ll) Eph. I, 13. Gal. III, 14. (mm) 1 Io. V, 11. 12. 13.

Quaest. XVIII. *Quomodo autem nos gerere debemus, si ista bona et beatitates denuo haud perdere, sed earum participes manere velimus?*

Resp. Debemus ex promisso baptismali per fidem manere in Christo (nn), et ductui

ductui spiritus ipsius obsequi (oo), digno sacrae coenae usu (pp) et sancta verbi diuini meditatione nos corroborare (qq), semper sobrii esse et orare (rr), aduersus peccatum, mundum et diabolum fortiter pugnare (ss), et omnes huius saeculi adflictiones patienter tollerare. (tt).

(nn) Io. XV, 4. 1 Io. II, 28. (oo) Rom. VIII, 12. 13. 14. Gal. V, 25. (pp) 1 Cor. XI, 24. 25. Io. VI, 54. 55. 56. 57. (qq) 1 Pet. II, 2. 2 Pet. I, 19. Ps. I, 1-3. (rr) 1 Pet. V, 8. Matth. VII, 7. 8. (ss) Gal. V, 16. 17. Hebr. XII, 4. 1 Io. V, 4. 5. Eph. VI, 10-18. (tt) Hebr. X, 36. XII, 1-3. Iac. V, 7. 8.

Quaest. XIX. *Num omnes fideles et pios Christianos in hoc mundo aduersa pati oportet?*

Resp. Sic est, quisquis Christi volet esse discipulus, illum oportet abnegare se ipsum, crucem suam suscipere et Christum sequi. (uu).

(uu) Luc. IX, 23. Hebr. XII, 8.

Quaest. XX. *Cur vero Deus cruce et passionibus suos adfligi sinit?*

Resp. Ut probentur, in studio sanctimoniae prouehantur, et imagini Christi, qui ipse per passiones in gloriam suam ingressus est, conformes reddantur. (xx)

(xx)

(xx) 1 Pet. I, 6. 7. IV, 12. Hebr. XII, 10.
Rom. VIII, 29.

Quæst. XXI, *An autem ex his plenam liberationem sperare possunt?*

Resp. Possunt: Dominus non tantum in hac vita sub omnibus afflictionibus eos solatur, sed tandem quoque liberabit ab omni mala re, et per beatam mortem et resurrectionem a mortuis transferet in caeleste regnum suum (yy), ubi ab omnibus huius sæculi calamitatibus liberati, Deum, ut est, cernent, et sine fine ipso fruuntur; (zz)

Cui sit honor et potentia in perpetua sæcula. Amen.

(yy) 2 Tim. IV, 18. (zz) Apoc. VII, 14-17. Iob. XIX, 25. 26. 27. Ps. XVII, 15. 1 Io. III, 2.



Syllabus

Præcipuorum scripturæ sacrae dictorum,
in quibus præcedentes articuli fidei
fundati et secundum eorum seriem
congesti sunt.

CHRISTIANAE FIDEI DOCTRINA agit

I. DE DEO, et quidem

1) *in genere* secundum ipsius

a) *essentiam*, Io. IV, 24.

β) *attributa*, æternitatis Ies. XLIV, 6. immu-
rabilitatis, Iac. I, 17. omnipotentia, Luc. I, 37.
omniscientia, Psalm. CXXXIX, 1-4. II. 12.
omnisapientia, Ies. XL. 13. 14. omnipresen-
tia, Act. XVII, 27. 28. veracitatis, Pf. XXXIII,
4. sanctitatis, Ies. VI, 3. I Io. I, 5. iustitia,
Rom. II, 5 - 12. bonitatis ac misericordia,
I Io. IV, 16. et

γ) *personas*, I Io. V, 7.

2) *in specie* secundum tres *personas*, vbi conside-
ratur

a) *Pater*, cui competit,

a) creatio, Psalm. XXXIII, 6. Quo spectat do-
ctrina de angelis, bonis quidem, Hebr. I, 14.
et malis, 2 Pet. II, 4. I Pet. V, 8.

b) providentia, conservatio et gubernatio, Io.
V, 17. Pf. CXLVII, 7-10.

K

(c) præ-

(c) prædestinatio, Eph. I, 3. 4.

6) *Christus*, secundum ipsius

a) personam, Rom. I, 1-4.

b) officium in genere, Matth. I, 21. et in specie, propheticum, Act. III, 22. 23. sacerdotale, 1 Tim. II, 5. 6. et regium, Ps. II, 6. 12.

c) utrumque statum, exinanitionis, Phil. II, 7. 8. et exaltationis, Phil. II, 9. 10. 11.

7) *Spiritus sanctus*, Io. XIV, 16. 17.

II. DE HOMINE, qui spectandus secundum statum

1) *innocentiæ*, Gen. I, 26-28.

2) *peccati*, Rom. V, 12.

3) *per Christum reparatæ gratiæ*,
ubi consideranda

a) *Diuina beneficia*, quæ sunt

a) vocatio, 2 Tim. I, 9.

b) illuminatio, 1 Pet. I, 19.

c) regeneratio, 1 Pet. I, 3. 4.

d) iustificatio, Rom. III, 23-26.

e) unio cum Deo et Christo, 2 Cor. VI, 16-18.
Io. XV, 1-6.

f) renouatio, siue sanctificatio, 1 Thess. V, 23.
Eph. IV, 22-24.

β) *Media salutis*, quæ sunt

a) verbum Dei, quod in sacra scriptura continetur, 2 Tim. III, 15-17. et diuiditur in legem

- legem, Gal. III, 19 - 22. et euangelium, Rom. I, 16. 17. quo referenda doctrina de clauibus regni caelorum, Matth. XVI, 19. XVIII, 15 - 29.
- b) sacramenta, baptismatis, Matth. XXVIII, 18 - 20. et sacrae coenae, 1 Cor. XI, 23 - 29.
- γ) *Ordo diuinus ex parte hominum, ad quem spectat,*
- a) poenitentia et conuersio, Act. XXVI, 17. 18.
- b) fides, Io. I, 12. 13.
- c) bona opera, Eph. II, 8. 9. 10. Matth. V, 3 - 16.
- d) crux, 1 Pet. IV, 12 - 16.
- e) preces, Matth. VII, 7. 11.
- δ) *Gratiae participes.*
- a) *in genere,* ecclesia, 1 Pet. II, 9. 2 Tim. II, 19 - 21.
- b) *in specie,* ministerium ecclesiasticum, 1 Pet. V, 1 - 5. Hebr. XIII, 17. magistratus politicus, Rom. XIII, 1 - 7. status oeconomicus, Eph. V, 22 - 33. c. VI, 1 - 9.
- 4) *futurae gloriae,* ubi spectanda,
- α) *antecedentia,* quae sunt
- a) mors, Cohel. XII, 7.
- b) resurrectio mortuorum, Io. V, 28. 29.
- c) iudicium extremum, 2 Cor. V, 10. eique annexa consummatio saeculi, 2 Pet. III, 10 - 14.
- β) *Gloria ipsa,* siue vita aeterna, Iob. XIX, 25 - 27. Apoc. VII, 13. 17.

Precatiuncula,

quæ

a junioribus confessionis loco
vsurpari poterit.

A Mantissime Deus et
Pater, confiteor Ti-
bi, me non solum in
peccatis conceptum esse
et natum, sed foedus etiam,
in baptifmate Tecum ini-
tum, sæpissime violasse et
fregisse, quando quidem
non in sincero timore et
amore tui ambulavi, sed,
eo sæpius in super habito,
corruptæ voluntati meæ in
car-

carnis et oculorum cupiditate et vitæ arrogantia magis quam sanctæ et bonæ voluntati tuæ in vera abnegatione mei et prauarum cupiditatum ac libidinum mearum crucifixione obsequutus sum. Concede mihi gratiam, vt hanc profundam corruptionem meam ex animo agnoscam, detester ac doleam. Ne autem intres, quæso, mecum misero in iudicium, sed sis mihi in Christo, filio tuo, propitius, meamque conscientiam

K 3

fan-

fanguine ipsius conspergas, vt in eo Tibi placeam et acceptus sim in perpetua sæcula. Effice ab hoc temporis momento in animo meo sanctam omnis vitiositatis, quæ intra et extra me est, detestationem, vt ne ei obsequar, sed humilis, amantis et mansueti Iesu Christi vestigia ad finem vsque vitæ premam. Largire mihi hoc ex mera gratia per Christum Iesum, dilectum dominum ac saluatorem meum.

Amen.

Io.

Io. Arndius de vero christi-
 anismo

lib. I. cap. XXXVIII.

PVeritas doctrinae et cognitionis di-
 vine non potest manere apud il-
 los, qui vivunt in diabolo, in
 tenebris, in superbia, avaritia et
 voluptate. Quomodo enim permaneat
 aliquo in loco doctrina pura divinaque,
 ubi vita est tam impura et antichristia-
 na? aut quid est magis dissentaneum et
 inconciliabile quam vita impura et do-
 ctrina pura? Quocirca si doctrinam re-
 tinere volumus, mutanda est penitus
 publico consuetudinis suffragio adplau-
 suque recepta ratio, referenda in me-
 lius vita antichristiana, imitandus Chri-
 stus, excutiendus somnus peccatorum;
 et collustrabit nos Christus lumine ve-
 rae fidei. Quisquis enim vestigiis Chri-
 sti,

sti, hoc est, illius caritati, mansuetudini, patientiæ, et timori diuino non infisit, eum decipi oportet; quum non ambulet viam, quæ ducit, ad veritatem. Quod si contra ea omnes in Christo viveremus, si ambularem in caritate et humilitate, si omnia nostra studia et theologia hoc vnum spectaret, vt caro et Adam mortificaretur, vt Christus in nobis viueret, vt nosmet vinceremus, vt denique de carne, de mundo, de diabolo triumpharem; tum vero minus rixarum circa dogmata esset, et hæreses sua sponte collaberentur omnes.



Im 961
8

1.5

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

6.
IO. ANASTASII FREYLINGHVSII,
PASTORIS VLRICIANI ET GYMNA-
SII SCHOLARCHAE,

COMPENDIVM

VNIVERSAE

DOCTRINAE

CHRISTIANAE,

ARTICVLIS XXXIII COMPREHENSAE.

ACCEDIT

DIVINVS SALVTIS ORDO,

PER QVAESTIONES ET RESPONSIONES

AD DVCTVM SACRAE SCRIPTVRAE

SIMPLICITER BREVITERQVE
PROPOSITVS.

E GERMANICO IN LATINVM
CONVERTIT

IO. HENR. GRISCHOVIVS

HALBERSTADIENSIS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI, MDCCLXXXIII.